

INTRODUCTION

This text is a provisional edition, not a critical edition: it takes as its basis the most authoritative known codices of Patrizi's *Poemata* rather than all surviving witnesses of the text.¹ Scholars have not produced a comprehensive census of Patrizi manuscripts, but of those that are known, the two that seem the most important are the dedication copy, prepared in early 1461 for Pope Pius II (*V*), and a presentation copy dated September 21, 1461 (*B*).² Those manuscripts represent the only two complete collections of the *Poemata* among all the surviving copies. *B* contains several authorial interventions in Patrizi's hand that correct versions of the text found in *V*; as a result, I favor *B* over *V* unless *B* contains an obvious error. I have also taken soundings in other known manuscripts that contain works from the *Poemata* (*V*², *V*³, *V*⁴, *V*⁵, and *V*⁶) and found that they reflect an earlier editorial stage than *B*. In addition, *Poem.* 2.2, an eclogue on Christ's nativity and "the first pastoral treatment of a Christian theme" in the Renaissance,³ was widely anthologized in the period, appearing in at least eighteen manuscript miscellanies and a printed version published in Padua ca. 1482. While I have not consulted all the manuscript witnesses, I have collated the text with the *editio princeps* (*P*) and concluded that the variants it offers do not constitute evidence that *P* reflects authorial interventions later than *B*. Because *B* and *V* are the two most authoritative manuscripts, I have cited other witnesses in the *apparatus* only when they show textual variants possibly representing an earlier stage of the poems. I have not recorded banal scribal errors or common orthographic variations when the latter do not affect the meter.

I am very grateful to the Staatsbibliothek in Berlin for providing digitized images of *B* and the Biblioteca Apostolica Vaticana for allowing me to consult *V* *in situ*. Prof. Julia Gaisser kindly read my transcription and suggested many improvements.

BIBLIOGRAPHY

W. Leonard Grant, *Neo-Latin Literature and the Pastoral* (Chapel Hill: University of North Carolina Press, 1965).

James Hankins, "Editorial Criteria for 'Provisional Editions' of Renaissance Latin Texts: Some Comments." In *Renaissance Studies in Honor of Joseph Connors*, ed. Machtelt Israëls, Louis Waldman, et al. (Florence: Leo S. Olschki, 2012), 581-588.

¹ On the practical advantages of provisional editions over complete critical editions, see Hankins 2012, 581-583.

² This copy was prepared before March 23, the date that Patrizi was elected Bishop of Gaeta; see Hankins 2023, 37. A fuller description of the manuscript may be found on this website, under WORKS → List of Manuscripts.

³ See Grant 1965, 159, cited in Hankins 2023, 18.

_____, *Political Meritocracy in Renaissance Italy: The Virtuous Republic of Francesco Patrizi of Siena* (Cambridge, MA: Harvard University Press, 2023).

SIGLA

B: Berlin, Staatsbibliothek (Haus 1), MS Hamilton 482 (consulted via digital images provided courtesy of the Berlin Staatsbibliothek). B has two correctors, one of whom is often, but not always recognizable as Patrizi himself.

V: Vatican City, Biblioteca Apostolica Vaticana, MS Chigi J VI 233 (collated *in situ*)

V²: _____, Chigi I V 175 (3.15)

V³: _____, Chigi I VI 210 (1.3)

V⁴: _____, Chigi I VII 260 (1.1, 3.2, 4.2, 4.3, 4.5)

V⁵: _____, Vat. lat. 6941 (1.3)

V⁶: _____, Vat. lat. 8914 (2.5, 3.3, 3.4, 3.6, 3.11 [frag.], 3.17)

P : Padua : [Printer of Lucian H 10276], ca. 1482 (the *editio princeps* of 2.2)

CAROLINE ENGELMAYER
MARCH 2023

[LIBER PRIMUS]

: 1 :

AD AENEAM PIUM II PONTIFICEM MAXIMUM SANCTISSIMUMQUE
FRANCISCI PATRICII SENENSIS POEMATUM LIBER PRIMUS INCIPITDEDICATIO LIBRI⁴

Rustica primitias flavis afferre maniplis
 Vt frugum Cereri pubes dulcesque racemos
 Palmitis assuevit Baccho praeferre nouelli,
 Vtque sagittiferae primas adolere Dianae
 Venator praedae partes uictrixque iuuentus 5
 Postibus exuuias gradiuo affigere Marti,
 Ocia qui studiis teneris contriuit ab annis,
 Pallidus ac totiens defixit lumina terrae
 Innocuo usque unguis inimico dente peredit
 (Carmen amat Phoebo uitreas Heliconis ad undas 10
 Inter Musarum placidas offerre choreas),
 Sic ego nunc uarios aestus mentisque furores,
 Libera quos uomuit seu dedignatio rerum
 Feruida seu bilis multum stimulante iuuenta
 Insanum stomachum, cogor tibi, summe, sacrare, 15
 Pontificum, cui sceptrum hominum, qui condidit arces
 Aethereas, tribuit rerumque ingentia regna.
 Tu mihi tu numen, quo non presentius ullum,
 Tu mihi tu Phoebus, tu menti suggere uires
 Verticis Aonii et Pennae⁵ fronde corona. 20
 O mea si puro consperges carmina rore
 Gorgonii laticis uel quali Mincius herbas
 Nutrit odoratas suaui et uiolaria Pesto
 Aemula, Benaco nunquam fraudante parente,
 Tunc mea linquentes uitam certabit olores 25
 Vincere praedulci ambrosia confota camena,
 Et quae serpit humi titubans pauidoque uolatu
 Piscosas radit, nebuloso gurgite ualles,
 Vt solet, accipitris rostro pauefacta columba
 Vnguibus aut mergus tutas optare latebras 30
 Ardua tentabit sublimi vertice caeli.

⁴ *Poem omitted in B. DEDICATIO LIBRI V*] Francisci Patricii Epistula ad Pium II pontificem maximum cui dedicat libellum Epigrammatum [sic] suorum *V*⁴

⁵ *sc. Penea*

Te sine, qui magnos possem complere coturnos
 Aut citharam digno percurrere laudis honore?
 Da facilem ceptis auram, da numine sacro
 Vincere fatalis miserandae fulmina sortis. 35
 Nec te poeniteat⁶ paruo nunc credere uati
 Nomina magna tua et titulis laudata per orbem
 Munera, quae priscos superant uirtute labores.
 Sint licet illa domi, multum spectata forisque
 Vatis egent, nostro nec tempore uiuit Homerus 40
 Egregiusue Maro, quales nec sidera rursus
 Praestabunt animae, redeant si saecula Pyrrhae.
 Romulidum gestis Rudiae uenerandus alumnus⁷
 Non fuit assimilis nullo, sed uiribus impar
 Saepe sub ingenti desedit pondere uictus. 45
 Hunc tamen ante alios longe praefecit honore
 Roma viros carmenque dedit uolitare per aeuum.
 Rex Macedum,⁸ fleuit qui prospera saepe Philippi,
 Quod uincenda satis patria uirtute relinqui
 Credere uix poterat, tanto flagrabat amore 50
 Ingentis laudis. Magno tamen aere poetae
 Exigui carmen mercatus dicitur ultro,
 Ne tenui laudem fraudaret munere Musae.
 Is tamen edicto cauit, ne preter Apellem
 Pingeret effigiem quisquam, sed duceret aere 55
 Solus Lysippus, gemmis caelaret et auro
 Vnus Pyrogoteles. Quae nunc exempla fatentur
 Egregiis gestis scriptorum crescere famam
 Atque animi uires tantum monitoris egere
 Corporis, at faciem solis extare periti 60
 Artificis manibus famamque afferre metallo.
 Tu modo primitias et munera parua libelli,
 Qui tenui ac uaria redolet farragine mixtus
 Incertoque trahit diuersa poemata filo,
 Auspicio placido firma vultuque benigno 65
 Conciuisque tui, siqua est tibi cura poetae.
 Fluctibus in mediis et magno pondere rerum
 Aspice nunc tantum. Nam te legisse putabo
 Solaque credulitas faciet me iure beatum
 Et tumidus grauiora animo referente parabo. 70

⁶ *ex peniteat corr. V*

⁷ *sc. Ennius*

⁸ *sc. Macedonum*

: 2 :

AD LIBRUM SUUM ΠΡΟΣΩΠΟΠΟΙΑ.⁹

Quo properas, periture liber? Quid linquere gestis,
 Infelix,¹⁰ tanto dilectum tempore patrem?
 Mecum delitiis cofino seruatus et umbra
 Vel tectus pluteo ac multis comitatus amicis
 Degebas, nec saeua malae conuicia linguae 5
 Ledere te poterant. Paucis si quando rogatus
 Libera securo recitabas carmina uultu,
 Vindice me testes aequi iudexque benignus
 Plaudebant, facili laudantes singula risu.
 Ibis et ignotas sine me, uesane, per urbes, 10
 Tentabis quandoque aures animosque superbos,
 Tunc disces quanti captetur gloria, quanti
 Mercentur uates magnae uirtutis honores.
 Res noua quam paucos fautores inuenit omni
 Ex hominum numero. Spectabant lumine toruo 15
 Saecla coturnati sublimia symmata quondam
 Euripidis. Raro tetigit sua dona Menander.
 Ah, tibi quam melius taciturno pascere blattas /B 1v/
 Aut tineas fuerat, uel salsos usque syluros /V 3v/
 Rugosumue piper tenui uestire cucullo,
 Seu Veneris chartas flammis adolere mariti, 20
 Quam totidem ambiguis obnoxia carmina linguis
 Reddere et incerto cymbam committere uento!
 Sed si laudis amor uexat, si magna cupido
 Vrguet et ingentem cogit volitare per orbem,
 I, pete laurigeri Aeneae penetralia diua. 25
 Poplitibus flexis, postquam desederis ora
 Vt tibi felicem¹¹ cursum auspiciumque secundum
 Annuat ac facilis ceptis audacibus assit,
 Tunc tibi nec dirum uirus livorue malignus
 Siue procax oberit lector, siue ore bilingui 30
 Vanus adulator, nec protinus inscia turba.
 Securus, poteris doctas percurrere mentes.
 Si te musarum numen, si noster Apollo
 Approbat et numeros oculis aspexerit aequis,

⁹ suum *om. B*¹⁰ *post corr. B*¹¹ *post corr. B*

Sic tua Cyrreae uelabunt carmina lauri
Forsitan et claros inter numerabere libros.

35

/B 2r/

: 3 :

AD AENAEAM POETARUM EXCELLENTISSIMUM PONTIFICEM
DOMINUM CARDINALEM SENENSEM Τὸ ΠΟΙΗΜΑ¹²

/V 4r/

Ocia nunc, resides, iamdudum linquite, Musae,
Plectraque Bistonio quondam modulata ministro
Sumite et argutis citharam praetendite neruis.
Aeneae praestat uestro laetemur alumno
Ambrosiis dapibus, quem uos fouistis in antro, 5
Tempora Pierio Pennaea¹³ fronde reuinctum.
Pacis ut Etruscae confector Martia uidit
Moenia et ingenti gaudentem munere Romam
Oenotriosque patres oleis felicibus¹⁴ albos, 10
Pontificem summum mellitis uocibus infit.
‘Magne pater, terris cui caeli rector habenas
Credidit et caelsi portas permisit Olympi,
Auspicio ductuque tuo res Tusca quieuit.
Obsequitur dictisque tuis obtemperat omnis
Italia et reges ultro mandata facessunt. 15
Nunc proceresque ducesque¹⁵ pii et Mauortia pubes
Et qui iamdudum uexarunt caede cruenta
Ingentem Hesperiam, cuncti tua iussa sequentur.
Compositum cernis Latium tandemque resedit
Horrida mortifero iam debachata duello, 20
Ah, Bellona, malis quae semper territat orbem.
Nunc opus egregium superest, nunc promere uires
Est operae praetium Graiasque ulciscier urbes.
Falsa superstitio Maometidesque superbi
Sanguinis exhausti media inter numina Christi 25
Dent poenas scelerisque luant commissa nefandi.
Laumedontaeis¹⁶ Turcus nouus incola regnis
Seruitio imbelles populos residemque iuuentam,

/B 2v/

/V 4v/

¹² Ad Aeneam poetam excellentissimum cardinalem Senensem *B*: Ad Aeneam poetarum excellentissimum pontificem dominum cardinalem Senensem Τὸ Ποίημα *B*: *om.* *V*³: Reuerendissimo cardinali Senensi domino Aeneae poete excellentissimo Franciscus Patricius felicitatem dicit *V*⁵

¹³ *sc.* Penea

¹⁴ *post corr. B*

¹⁵ *ex duces corr. B*

¹⁶ *ex Laumedontaeis corr. B*

Ecce, premit luxuque ferox insultat in hostem.		
Ille et Cappadoces Lycaoniosque Phrygesque	30	
Regnaque Bichynio quondam seruata tyranno		
Ideosque omnes Xantum et Simoenta minores		
Voluentes undas Rhetheaque ¹⁷ littora secum		
Hellespontiacos simul et Propontidis oras		
Victor agens Thraces millenis nauibus urget.	35	
Bosphorios Galatas bello terraque marique		
Inuadit miseros. Byzantia moenia, quondam		/B 3r/
Quae Lacedemonio fuerant constructa tyranno		
Auctaque Romuleis ducibus iamque emula Romae,		
Fulmineis tandem deturbans, ictibus usque	40	/V 5r/
Expugnat (miserum dictu!) cunctosque trucidat		
Mortales animisque furit crudelibus igni.		
Tecta ruunt. Superant aequatas nubibus arces		
Victrices flamae terramque ¹⁸ fragore lacesunt.		
Templa deum uideas manibus spoliata cruentis	45	
Stupraque uirginibus medias illata per aras		
Et pueros raptos rorantibus undique membris		
Sanguine et inclusos materno uentre reuelli,		
Tum Christi simulacra trahi, uexarier atque		
Virginis (heu!) diuae effigiem sacrosque penates.	50	
Ostupuisse diem credo noctisque tenebras		
Inuasisse polum, conuerso sidera sole		
Dectrectasse aciem et mersam caligine Phoeben.		
Nunc ego Lestrygonas ¹⁹ mites aulamque Sicanam		
Et Diomaedis equos dicam et Busiridis aram.	55	
Turcus ad haec uultu nulla tum cede mouetur.		
Saeuitia immanis furit, immedicabilis ira		
Edocuit risu sensus ostendere blandos.		/B 3v/
Prodigium horrendum, toruis immanius ursis,		
Foedius Arpyis ²⁰ et tigride ²¹ saeuus orba,	60	/V 5v/
Imperium toto fuerat quod in orbe secundum.		
Impensa ingenti et seruatum sanguine tanto		
Corruit et magnam secum trahit, ecce, ruinam.		
Byzantina quidem clades terrore fatigat		
Finitimos populos maioraque conficit horror	65	
Quam quae uictrices praestarent Marte cateruae.		
Nunc ille Hemoniam, tumefactus caede cruenta,		
Vt fauces Ponti bimarem superauit et Isthmon, ²²		

¹⁷ ex Retheaque corr. B

¹⁸ terramque V; post corr. B: et terram V³ V⁵

¹⁹ ex Lestrygonas corr. B

²⁰ ex arpiis corr. B

²¹ post corr. B

²² ex histhmon corr. B

Phthiam Larissamque, urbes uictoris Achilli, Amnibus irriguos saltus ac Thessala Tempe, Infamesque etiam ciuili sanguine campos Pharsalicos, nuper uictis quos addidit, armat, Inde et semiferis habitata cacumina quondam Centauris montesque alios, quos turba Gigantum ²³ Sustulit, ut fama est, caelum raptura Tonanti.	70 75	
Ipsa sagittiferas iungit Magnaesia turmas Pellaeumque ducem fraudatum lumine iactat Nomineque inscriptas ostendit et arte sagittas.		/B 3*r/ ²⁴
Quos inter pharetrata uenit Meliboea iuuentus Atque Philoctaetem ²⁵ referunt uirtute magistrum, Et qui Lybetrios latices hausere, ²⁶ Camoenis Pergratos quondam, iussi socia arma capessunt, Post Macedum populi, regum uirtute potentes. Imperio quorum non sat fuit intima Bactra, Armeniam, Syriam, Moedos ac Persica regna	80 85	/V 6r/
Addere, sed gentes, quas non Tyrintius haeros, Non Bacchus ²⁷ domuit, uictas egere triumphis. Nunc tamen, o hominum mendax Ramnusia rebus, Barbara Teucrorum uenerantur signa tyranni Expediuntque iterum uictas de more phalanges.	90	
(Odrisias turmas Epireidasque cohortes Illiricasque acies taceo magnosque Liburnos.) Nec mihi ²⁸ Moeoniae ²⁹ fuerint si carmine uires Spiritus et, Phoebos semper modulante, canorus, Innumeros populos regesque ducesque referre	95	
Possum, ³⁰ nec caperet multum numerosa papyrus. ³¹ Sed ne te teneam, pater o sanctissime rerum, Tutela atque salus hominum et custodia firma Italiae, paucis quae sit mens accipe nostra.		/B 3*v/
Aeui flore micat Turcus patiensque laborum Pulueris atque sitis. Non illum Syrius ³² urguet Brumaue concretis undis Aquilone retardat. Ardet amore tamen pugnae flagrantius aequo. Irruit in medios hostes seseque periclis	100 105	/V 6v/
Ingerit, ut primum cernit crebescere Martem.		

²³ *ex gygantum corr. B*

²⁴ Error in foliation in *B*

²⁵ Philotheten *V*: Philothetem *V*³: *ex Philotaetem corr. B*

²⁶ *post corr. B*

²⁷ *post corr. B*

²⁸ *add. s.s. B manu correctoris*

²⁹ *ex moeniae corr. B*

³⁰ *sic codd.*

³¹ *ex papyrus corr. B*

³² *sc. Sirius*

Primus init pugnam, postremus deserit hostem.
 Omnia fortunae credit, nil consulit astu.
 Auscultat dictis numquam senioris amici.
 Bellandi laudem manifestae occurrere morti
 Ducit et hoc genti suadet, quae prodiga uitae 110
 Prosilit in ferrum et sic uulnera colligit hostis.
 His igitur fraetus magno clamore minatur
 Italiae bellumque ciet terraque marique.
 Dardania se gente satum, sibi debita regna
 Aeneadum falsis mentitur uocibus ultro 115
 Et Scythici generis profugus primordia caelat.
 Discordes Italos turpi ambitione teneri
 Asserit et multis optatum se fore iactat /B 4r/
 Principibus populisque moram culpantibus usque
 Desidiamque suam. Verum si dicere fas est, 120 /V 7r/
 Peius obest rebus nostris discordia bello.
 Protinus his dictis animos ac barbara corda
 Erigit et tumidos fallax spe mulcet inani.
 Diuidit hos inter temeraria uota. Quiritum
 Regna tenet Caesar; regem Picentibus addit, 125
 Nunc illum Calabris, ast illum praeficit Umbris,
 Euganiae Phrygium³³ comitem Tuscisque clientem
 (Ludibrio praedaeque sumus!) nec prospicit usquam
 Adriacos fluctus Tyrrhenaue littora uidit.
 Etiam iura uiris demens, quos uincere gestit 130
 Oenotriis, quondam magni uictoribus orbis,
 Praescribit titulisque audet praefigere nomen
 Vindicis Hectorei belloque lacescere Romam.
 Haec inter crudos procures turbamque procaci
 Ore tonat patulasque aures his uocibus implet. 135
 Credula gens dictisque ducis tumefacta cruore
 Arma leuant ferroque minas fulgore corusco
 Reddunt ac renouant hebetes mucronibus enses. /B 4v/
 Ast alii faleras equitum saeuosque lupatos
 Ornant argento. Praecurrit fibula circum 140 /V 7v/
 Aurea et innectunt loris pendentibus aurum.
 Hi lapidum tormenta parant, his spicula fabris
 Ferri, dura seges, stridunt fornacibus altis.
 His hyemem exercent rebus nec segnius urget
 Turcus opus segnemque terit solertia brumam, 145
 Ac ueluti serpens, Borea spirante sub antro,
 Ceruleo squalore latet spirisque fouetur
 Atque optat Zephyros³⁴ seque ad sua tempora seruat.
 Post, ubi dilutas sensit per flumina lymphas

³³ *ex phrigium corr. B*

³⁴ *ex Zephiros corr. B*

Ostrepere et uarios pratis sol reddit honores, 150
 Emicat ac, stimulante fame, per ouilia serpit
 Arduus et uirus, uibrantibus undique linguis,
 Per miseros spargit campos, animalia quaeque
 Luminibus quatit et letum molitur hiatu.
 Tu tamen interea, dum sese continet omni, 155
 Optime pontificum, studio et uirtute parabis
 Italiam bello, quodque in sua uiscera uertit,
 Iamdudum ferrum saeuum experiatur in hostem. /B 5r/
 Illa modum pugnae statuatur monstrumque cathenis
 Ante pedes rapiat sacros numenque prophanus 160 /V 8r/
 Ille tuum passis manibus ueneretur et ultro,
 Stratus humi, Christi nomen tremebundus adoret.
 Nam tibi ueliuolas ingenti mole parabit
 Tercaentum naues, celeres de more triremes
 Innumeras turmasque equitum lectasque cohortes. 165
 Romulidae his armis multos egere triumphis
 Barbaricos reges uenumque dedere sub hastis
 Agmina et ingentes populos. Quin sanguine Naereus
 Decolor et tellus testantur et usque trophaea
 Victricesque aquilas, cum, torrens fulminis instar, 170
 Haec Italum pubes uictum tremefecerit orbem.
 Ausoniis comites Siculi socialia iura
 Praestabunt ultro Lyparaeaeque Mulciber arma
 Hospitaeque Alphaei puro de fonte coronam
 His Aretusa dabit, pergratum munus amantis. 175
 Herculei Sardi gaudens cognomine pubes
 His aderit Corsique truces et uerbere saxa
 Torquentes fundae Baleares. Vndique gentes /B 5v/
 Conueniunt, fortis quas mittit Hyberia. Regem
 Lysytana manus sequitur, qui nomine gaudet 180 /V 8v/
 Viriaci quondam uario, qui Marte tot annos
 Romulidas rerum dominos uexauerit armis.
 Hi rutilant auro insignes, quod flumine uersat
 Illuies praetiosa Thagi, uolucrique uehuntur
 Alipede. Hunc genuit mater lasciua. Parentem 185
 Ignorat solis Zephyris³⁵ compressa per herbam.
 Theucriderum picti minio iunxere Galaeti
 Agmina, punicea quondam de gente colonis.
 Inde Atlantiaco ueniunt de littore monstro
 Gerionis laeti iuuenes. Tum Boetica turba 190
 Insulaque Oceani quaeuis pro uiribus armat.
 Indigenas aderit Pyraenes³⁶ accola montis.
 Gallia, quam Druidae quondam docuere diserti

³⁵ *ex Zephyris corr. B*

³⁶ *Pyreique V³ V⁵*

Aeternas animas caelo donarier ob res Egregias bello, non detrectauerit arma.	195	
Namque Garunnicolas Belgae Celthaeque sequentur, Caesariem flauī, et galea cristisque ³⁷ superbi.		/B 5r/
Iam Germanae acies, iamque et Pannonica uirtus Ingruit ac ³⁸ pernota ³⁹ audet ⁴⁰ diuortia saeuum Excipere insidiis hostem Martemque lacessit.	200	/V 9r/
Aggredere, o, igitur, pater, o sanctissime, dignum Iusticia gestisque tuis ac nomine bellum. Hoc tibi terrarum imperium gentique togatae Restituet regnum, et uictricia signa per orbem, Quae tuleris Christi sub religione, sequentur	205	
Qui terras pontumque audent turbare tumultu. Aurea secla dabis nobis atque oia mundo. Teque deum supero reddes, Calliste, ⁴¹ Tonanti Eternumque decus seruabit fama superstes.’	210	
Haec dedit Aeneas, suauī sermone peritus. Optimus Antistes placido sic reddidit ore: ‘Macte animi uirtute, parem cui non tulit unquam Sena uirum, magno quamuis fuit aucta Kamillo. Quae mihi quae suades, utinam tibi crederet omnis Italia et discors tandem conuerteret arma	215	
Concordesque animos hostem domitura superbum. Intestina lues, stulta ambitione coacta, Allicit hanc pestem. Magnis discordia regnis Exitio, uictis rursus spem praetulit ⁴² ultro Arma remoliri. Nam si dissoluere classem	220	/B 6v/ /V 9v/
Senserit Adriacam Tyrrhenaue cornua Turcus Barbaricas acies uertet ⁴³ trepidusque salutem Moenibus optabit septus pacemque rogabit Anxius ac uotis Christi uenerabitur aras, ⁴⁴ Tu modo, pacifera frontem praecinctus oliua,	225	
Ausonios reges nostra ut mandata facessant Insubriosque ⁴⁵ duces tandem Venetosque potentes Instrue. Nunc equidem, ne tali cardine cessent, Hoc te puniceo donatum ⁴⁶ sponte ⁴⁷ galero		

³⁷ *post corr. B*

³⁸ *post corr. B*

³⁹ *post corr. B*

⁴⁰ *fort. audens: ac pernota audet B: atque audet pernota V V³ V⁵*

⁴¹ *ex Caliste corr. B*

⁴² *protulit V⁵*

⁴³ *acies uertet transp. V³ V⁵*

⁴⁴ *Lineam in marg. add. B manu Patritii: om. V³ V⁵*

⁴⁵ *Insubriisque V³: ex Insubriosque corr. V³: Insubreque V⁵*

⁴⁶ *post corr. B.*

⁴⁷ *sponte] ante V³ V⁵*

Virtutis meritique decus cum laude coronō. 230
 Te comite, his ceptis utar laudumque secundas
 Haud te paeniteat partes assumere. Nobis
 Ardua mens animusque uiget, tardante senecta,
 Corporis effeti uires. Eris alter Agrippa,
 Augusto gestis laude et uirtute secundus.' 235
 Hactenus, o Musae, satis est dixisse. Poetae
 Vos haec praeclaro facietis maxima cantu.

: 4 :

AD GREGORIUM LOLLIUM IURECONSULTORUM CLARISSIMUM⁴⁸
 DE /B 7r/ IMMANITATE PESTILENTIAE

Ne tibi desidiaē uidear reus, optime Lolli,
 Romani interpres iuris cultorque sororum
 Thespiadum, misera postquam concessimus urbi
 Peste laboranti, quod fidae pagina nulla
 Testis amicitiae de me perlata salutem 5
 Dixerit, absentis referens mandata sodalis.
 Nam dulcis patriae casus, miseranda uirorum
 Ac pubis uulgiue lues orbique parentes
 Cunctaque mortifero caeli polluta uenaeno
 Vsque adeo pauidam mentem formidine uexant 10
 Ac maerore malo macerant, ut, siqua benigni
 Extitit ingenii dicendi conscia uena
 Areat et luctu tandem collisa fatiscat.
 Dulcia Castaliae cessere silentia uitae
 Diraque praecipitat flagranti e pectore Musam 15
 Cura, nec Aonio potis est mulcere dolorem
 Pectine, cum fidibus concordat carmine linguam.
 Se duce, Bysthonium,⁴⁹ quamuis ferat Orphea syluas⁵⁰
 Et Pangaea iuga atque Hemum traxisse niualet 20
 Moenibus et Thaebas sepsisse Amphiona turrim,
 Cum durae cautes et robur scanderet ultro,
 Et quamuis referat placatum Naerea cantu,
 Cum fremit Aeolio percussus turbine phocas
 Et tenuisse malos Protheus, cum uerteret ora
 In uarias species diuersaque monstra ferarum, 25

⁴⁸ praecellentissimum *V*

⁴⁹ ex Bystonium *corr. B*

⁵⁰ ex siluas *corr. B*

Candida sollicito licet haec et plurima narret
 Pieris et citharam⁵¹ digitis percurrat eburnis,
 Nil moveor. Sedet infelix⁵² sub pectore cura
 Semper et attonitam turbat caligine mentem.
 At, Tarthesiacam⁵³ postquam demergit in undam 30
 Phoebus equos nigramque polo trahit Hesperus umbram,
 Grata soporiferae cum munera noctis edaces
 Oblitum curas hominum genus atque ferarum
 Squamigerumque pecus liquidi⁵⁴ per stagna perfundi 35
 Haurit et irriguo perfundunt membra sopore
 Aereae uolucres nidis tonsasque remittunt
 Pennarum, cohibent dum cuncta silentia noctis,
 Tum mihi nulla quies, non somnum concipit aegra
 Mens. Latus in laeuum iam fesso fratre recumbam /B 8r/
 Et licet in faciem et lassus quoque membra supinus. 40 /V 11r/
 Sic, ubi nigrantem maturat condere noctem,
 Fraternam fugiens tollentem lampada currum,
 Cynthia, cum miseris redeunt mortalibus artes
 Aut expers somni thalamum noctemque perosus,
 Consurgo et uigiles conor mulcere labores 45
 Aut lentus, roseae siquando munere serpit
 Aurore, rutilo cum primum lumine Seres
 Perfusi notis⁵⁵ deducunt uellera syluis.
 Mille mihi lemorum facies simulacraque nigra
 Exturbant requiem uexantque insomnia mentem. 50
 Nunc uideor diras non posse arcere uolucres,
 Quae circumuolitant polluta cadauera pastae
 Vocibus horrisonis ubique indigna minantur,
 Aut, cincinnatae perfusae sanguine crinem,
 Regibus inuisum sidus, percurrere caelum 55
 Exitium uisae portendunt luce corusca.
 Sybilat horrendum et spiris circumligat urbem
 Tartareus serpens diramque immergit in aluum
 Corpora uiua hominum, uiuum et commune sepulcrum /B 8v/
 Attolens quandoque caput uel nubila tabo 60 /V 11v/
 Conspergit saniem ructans aut aera foedat,
 Gutturis ingluuiem pandens, ac uerrit hiatu
 Pennarum immemores uolucres figitque tremendo
 Lumine mortales et uirus spargit in orbem.
 Talia regnator tenebrarum altique silenti, 65
 Cum mihi Loeteo medicata papauera somnus

⁵¹ *ex cytharam corr. B*

⁵² *ex infoelix corr. B*

⁵³ *Carchesiacam V: ante corr. B*

⁵⁴ *post corr. B*

⁵⁵ *noctis V*

Perfundit, cornu componens, membra sopore
 Obiicit et placidam perturbat mente quietem.
 Attonitum postquam uisis me reddidit, alas
 Verberat et madidum multo sudore relinquit, 70
 Lusit et hesterna mecum caligine. Quare,
 Si uacat et dulcis patriae te cura fatigat,
 Accipe nec pigeat Saracenum arcessere uatem,
 Dummodo, quod nobis portendant, somnia discas.
 Is longe ante alios Tuscae telluris alumnos 75
 Somnia et euentus rerum praedicere callet.
 Ignem namque uagos caeli Phoebesque labores
 Noscit et occiduis maculis quid poscat Apollo
 Et quid fuscatis radiis cum soluit habenas, /B 9r/
 Quid mergus reuolans, quod cornix littus oberrans, 80 /V 12r/
 Quid strix, aut maesto praesignet carmine bubo,
 Optimus interpres griphos⁵⁶ dissoluere cautus.
 Ecce mihi in thalamum caeli, dilapsa⁵⁷ per auras,
 Aspectu matrona graui, sed numinis instar
 Aetherei, caelsos humeros circumdata palla 85
 Nigra, et segmento frontem praetenta pudico,
 Visa loqui, 'Patrium numen ne desere, nate,
 Neu comes ire nega. Poscunt discrimina. Surge,
 Surge, age. Festinos mecum nunc concipe gressus.
 Acceleremus,' ait. 'Sequor, o sanctissima mater. 90
 Qua ducis,⁵⁸ propero. Tranes extrema licebit
 Oceani, rutilum ueniam uisurus hydaspem,
 Si uel hyperboreos curras Tylemue repostam,
 Augustam agnosco faciem geniumque benignum
 Urbis et eiectus⁵⁹ strato uestigia seruo.' 95
 Illa iter immensum per deuia quaeque locorum
 Nocte secat diuinaeque alacer mandata facesso.
 Ardua nymbosi montis superamus et aequor
 Emensi innumeros cursu tranauimus amnes. /B 9v/
 Est expers noctis uallis circumflua lympa, 100 /V 12v/
 Murmure quae suauis circumlita saxa pererrat
 Muscosae ripae, turbare nescia limo.
 Hanc neque Rhiphaeus Boreas aut flamina pulsan
 Inuida, sed solis Zephyris⁶⁰ afflata pruinas
 Nescit et ardenti non urget Sirius aestu. 105
 Perpetuo placidi tepet indulgentia ueris
 Perpetuoque uiret, ridet quoque floribus usque.

⁵⁶ *post corr. V: post corr. B*

⁵⁷ *delapsa V*

⁵⁸ *post corr. B*

⁵⁹ *ex iectus corr. B*

⁶⁰ *ex Zephiris corr. B*

Quid tantum inuidiae meruit domus unica, pacis
 Nec non Tyrrhenae⁶² fidei decus, inclyta Sena?
 Aut quid diuorum tantum committere regi 155
 Ausit uel potuit, si coniurata Typhoei
 Encheladique nephas tentasset scindere Olympum?
 Importuna lues, Stygio conflata uenaeno,
 Mixtaque mortifero flatu et caligine nigra, /B 11r/
 Complexum caeli circum uitiauit et astra 160 /V 14r/
 Polluit et crassum⁶³ diffudit in aera⁶⁴ uirus.
 Squalida fit tellus, frugem mentita colono,
 Nec miseris uictum reddit mortalibus herba
 Decolor. Autumni pereunt ac munera Bacchi.
 Sternitur omne pecus uulgo. Fluit aethere summo 165
 Omne genus uolucrum. Tum labes serpit et atra
 Peste haurit ciues, urbem populata, nefanda
 Morte. Iacent passim polluta cadauera tabo.
 Nec tumulis mandare audent. Contagia laedunt
 Effera. Nam rapiunt comites Acherontis ad undas 170
 Et gaudent socios secum deducere loeti.
 Perfurit Eumenis et mortem meditantur hiatu,
 Dum quassat crinem turbati fronte chelydri.⁶⁵
 Haec facibus succincta micat saeuitque flagello.
 Turba furens Herebo sequitur, quam protulit atra 175
 Nox infoelici partu, nec munere cessant.
 Me miseram! Pereunt nostra de gente tot uno
 Tempore. Iam Stygii complerunt gurgitis undas.
 Iam nequit angusta transmittere nauita cymba. /B 11v/
 Quae dabitur finis? Qui morbi terminus haeret, 180 /V 14v/
 O dea? Si talem, duce te, nunc depraecor iram
 Et si dira lues purgato sidere cedit
 Et redeunt placidi soles caelumque salubre,
 Est urbis medio campus, quo pulchrior usquam
 Non datur in terris cerni mortalibus alter. 185
 Hac, qua parte sacer musis argenteus exit
 Fons, tibi candenti statuam de marmore templum.
 Aurea damnati pensabunt munera ciues.’
 Tum dea, defixit postquam pia lumina terrae,
 Excipit et suaui tandem sic rettulit⁶⁶ ore, 190
 ‘Siqua tibi aut genti fuerint contraria uestrae,
 Alma, mihi ante alias durum est nec criminis ulli
 Sum rea. Namque Iouis summi mandata facesso.

⁶² *ex Tyrrenae corr. B*

⁶³ *crasso V*

⁶⁴ *aere V*

⁶⁵ *colubres V*

⁶⁶ *ex retulit corr. B*

Imperat. Exequimur. Iussu describimus horas.		
Inconcussa manent semper, quae sanxerit auctor.	195	
Succenset si quando uiris, haec creditur usque		
Vltio temporibus, tum plena lance rependunt,		
Si mora distulerit poenam. Sed poscimus unum:		
Pace tua liceat, ne seui, dicere verum.		/B 12r/
Gens Aetrusca sibi magni Iouis elicit iram.	200	/V 15r/
Haec luxu populatur opes, mercatur honores		
Ambitione leui, mentitur foedera, frontem		
Dissimulat leges et semper diruit astu,		
Desidia torpet, praestat suffragia ceca		
Solis diuitibus, uirtus liuore fatiscit.	205	
Thuscis ⁶⁷ relligio nomen dedit, undique quondam		
Thure ⁶⁸ pio tenues fumabant protinus arae.		
Nunc quamuis auro fulgent ostroque renident		
Algent, ni seui cogat discriminis horror.		
Et tua degeneres reddit nunc Sena nepotes	210	
Dissimilesque illis, quos gloria et arma ⁶⁹ superbos		
Indigetesque dedit supremum scandere Olympum. ⁷⁰		
Nunc subiit mentem, quales armarit in hostem		
Pensati uindex auri, cum signa Camillus		
Rettulit, ⁷¹ incensam patriam uirtutibus ultus	215	
Magna parte manus uestrae. Nam uestra coronat,		
Dum legio et notae uallis diuortia seruat.		
Egreditur Brennus. Dat signum buccina. Circum		
Irruit ac stricto prosternens agmina ferro.		/B 12v/
Vertere terga ducem et uoluci se credere plantae	220	/V 15v/
Cogit. Is optatae seruatur munere noctis.		
Brennius aeternam testatur nomine famam		
Vester et egregius fons atque insigne trophaeum.		
Hinc peperit Senonum uobis uictoria nomen		
Vrbis et a magno fertur tribus una Kamillo.	225	
Inde lupae gemini pendentes ubere fratres,		
Martia progenies, dant inclyta signa Quiritum.		
Sed iam magna uocant me munera. Disce quod instat:		
Ecce, uenit Phoebus positus nunc, ecce, sagittis,		
Implicat alternos nexus tum gratia trina.	230	
Credimus exhaustum, quicquid nunc destinatat atri		
Sidus et adlatrat torrenti Syrius aestu.		
Mitior, ecce, aderit uirgo. Quin numine nostro		
Ibunt optati, ni Iuppiter abnuat, anni.		

⁶⁷ *ex Tuscis corr. B*

⁶⁸ *ex Ture corr. B*

⁶⁹ *gloria et arma B] fama armisque V*

⁷⁰ *post corr. B*

⁷¹ *ex Retulit corr. B*

Tu modo posce Iouem uotis Panchaeaque fument	235	
Thura ⁷² focus. Redeat pudor et pergrata Tonanti		
Virtus. Tum caeli foelicia dona redibunt.’		
Post ubi conticuit, somnus me diuaque liquit		
Attonitum, quales redeunt post orgia fessae		/B 13r/
Maenades, ut primum Bacchus concessit in auras.	240	/V 16r/
Fac tibi nunc referat uates, insomnia porta		
Num dederit nobis Herebi, quae candida barro		
Vel quae ceruleo fertur pellucida cornu.		
Postremo nostrum saluere iubebis Achillem,		
Cui mandata refer, Coriti cum prospicit arcem	245	
Ingenium nostra Ptolemaeum uoce salutet.		

: 5 :

CANTUS FATVI DE ORIGINE MUSICES
AD ANTONIUM ILICINUM

Emicat ut primum sulcis glebasque relinquit,		
Illicine, Tages, leges perscribere uitae		
Incipit atque rudes studio et uirtutis amore		
Incendit populos, nullo praedoctus auorum,		
Quem natiua tamen non excita more Minerva	5	
Instituit rerumque dedit praenoscere causas.		
Hoc si forte tuas unquam penetrauit ad aures,		
Credo equidem fictum. Nam res haud uera uidetur.		
Duxisti et sobrios inter doctosque tacendum		
Nec iurare ausim per numina sacra deorum,	10	
Quamuis doctiloquos possim producere testes.		/B 13v/ /V 16v/
Vt uidi, quae mox referam, properabo fateri		
Vera Tagis, Mopsi uera et quaecumque feruntur		
Auguris Argiui magniue Melampodis, et quae		
Prisca Sibyllinae recitarunt syrmata palmae.	15	
Omnia namque opifex rerum natura benigno		
Conficit ingenio nullumque Promethea quaerit.		
Indulget si forte tibi nunc ocia Cypris		
Et uacat Aoniis animum permittere Musis,		
Neue urgent placidi, dulcis tua cura, sodales,	20	
Accipe quid ruri nobis occurrerit inter		
Immodicos aestus, rabidus cum torret aristas		
Syrius ac bibulas rimas expandit hiulca		
Tellus, Aethnaeae referans penetralia diuae.		

⁷² ex Tura corr. B

Errabam fugiens aestum per opaca locorum 25
Arentemque sitim lymphae felicibus⁷³ undis
Abluere optabam et uiridi procumbere ripae.
Verberat, ecce, aurem dulci modulamine uocis
Exaudita chelis, quae tum nemus omne ciebat,
Mulcebatque feras cantu uariasque uolucres. 30
Ostupui tacitusque pedes animamque repressi,
Auribus hausurus⁷⁴ numeris resonantia uerba.
Ille hominum mores miserae et ludibria uitae,
Vt pauca e multis carpsi, memorabat et usque
Egregios laudare Gethas, quod funera cantu 35
Ac fidibus celebrent. Mox contra fletibus urgent
Natiuam sobolis lucem et primordia uitae.
Eminus ut recta uenientem conspicit ultro,
Adstitit⁷⁵ et glaucae scapulas suffultus oliuae
Expandit fronti leuam solisque corusci 40
Luminibus radios arcet. Mox talibus infit
‘Gorgonii laticis potor, lautissima Phoebi
Cura, uenis nobis gratissimus usque, Patrici.
Tempestiuus ades. Quam te, pia numina testor,
Optabam uideoque lubens. Concede sub antro. 45
En tibi nunc citharam,⁷⁶ quam non patiemur inertem,
En graciles calamos, ni Musas spernis agrestes.
Lympidus ecce latex, sunt et praedulcia pruna.
Munera sunt almae Cereris, bellaria Bacchi.
En aderunt, uotis ne te nunc subtrahe nostris.’ 50
Tunc ego, ‘Magna deis sit gratia, namque quid optem?
Nunc melius, concedo uolens tecumque paciscor,
Quando me nosti et memoras cognomina rursus
Vt fateare mihi qui sis. Nam singula miror,
Ingenium mores cantum; modulamine quippe 55
Aethereas auras linquentes uincis olores.
‘Ingredere arridens,’ inquit. Mox talia fatur,
‘Me fatuum indigenae Faunum dixere parentem,
Nympha fuit mater. Docuit me maxima rerum
Natura et nullum teneor censere magistrum, 60
Nec sine luce genus, nec surdum nomen auorum,
Nostra sed ignauum laudant nunc tempora caensum.
Haec sint missa, praecor. Nam te sudore madentem
Contuor. Hos inter soles carchesia sume.
Nec satis est hausisse semel.’ Vix spirat hanelis 65
Faucibus esiccus pulmo, quin uerba dehiscunt

⁷³ *ex foelicibus corr. B*

⁷⁴ *ex ausurus corr. V*

⁷⁵ *post corr. B*

⁷⁶ *ex cytharam corr. B*

Guttare nec saliant uda fraudante salua.
 Abstemi⁷⁷ pereant, genii fraudator auarus
 Aeternum sitiat. Sic et, quicunque canina
 Prandia laudabit, Bromii contemptor⁷⁸ hanelet. 70
 Nos curas bibuli tandem linquamus edaces. /B 15r/ /V 18r/
 Exhaustit postquam spumantia cymbia rursus,
 Accipit, ecce, chelim ac plectro praeludit eburno
 Et cantu tremulo tandem diuerberat auram.
 Iupiter aethereas sedes discrimine uocum 75
 Viderat ornatas. Ne tali munere terras
 Linqueret expertes, Amphiona deuocat. Ille
 Obsequitur patri. Mox Iupiter ardua supra
 Deulat atque melos raptum diffundere nato
 Destinatus. Exhaustit lapsam per membra Camoenam 80
 Amphion uocemque bibit (mirabile dictu!),
 Quae lapides ultro praeruptaque saxa superbos
 Duceret in muros ac moenia cingeret urbi.
 Argutum docuit citharam formosus Apollo
 Mercuriusque lyram, quam natus matre Camoena 85
 Chalcidicus uates dono tulit. Ille meatum
 Lampadis aetherae cecinit triuiaque labores.
 Haud indignatus tali parere magistro,
 Phoenices didicisse notas Tyrinthius haeros
 Creditur atque Lino saepe obstupuisse canente. 90
 Hoc tum Bistonius didicit moderante querelas
 Manibus auditas, cum flectere regna triformis
 Et potuit diuiae et cantu deducere caram
 Euridicem, quem saepe ferunt pangaea canendo
 Abduxisse iuga et propriis e fontibus amnes, 95
 Musaeusque senex quali modulamine dulcem
 Eumolpum instituit, praecinctus tempora lauro.
 Nec non Pierius Macedo cecinisse sororum
 Thespiadum⁷⁹ laudes fertur Delphusque Philamnon
 Thamyram docuisse pater, qui uincere Musas, 100
 Dum properat dulcique etiam praeuertere cantu
 En oculis capitur. Caecus post ardet amator
 Calliopes natum. Sed quis modo credere possit
 Centauro placuisse chelim, qua pectus Achillis
 Firmat et ingentes bello dat uincere Troas? 105
 Carmine Demodocus Veneris Martisque furores
 Complexus lusit. Mox eruta moenia Troiae
 Cantauit Phemioque dedit describere uersu
 Graiorum reditum et miserae ludibria sortis.

⁷⁷ *ex Absthemi corr. B*

⁷⁸ *ex contemptor corr. B*

⁷⁹ *ex Thepiadum corr. B*

Silius, insignis Romanis fascibus, extat. /B 17r/ /V 20r/
 Post graditur Marsus, Bassus, dulcisque Catullus,
 Callimachus, Gallus, Naso, iuuenisque Tibullus.
 Nominis accedit decus, o Mevania, uestri.
 Eminus hos spectat, sexus uenerata pudorem, 155
 Inuentum plectrum ostentans, Erexia Sappho.
 Et quae Pindareos⁸⁵ numeros aequasse fatetur,
 Clara Corinna simul post altera Lesbia Sappho,
 Quae miseros ardens etiam suspirat amores.
 Compluresque alios uideas astare poetas 160
 Egregios, quorum, ah, nimium cognomina tantum
 Percensere reor. Nam sol festinat ad oras
 Hesperias aestusque ardentis mitigat aura.
 Sit satis, o Musae, nunc iam deducite uestrum
 Patricium errantem, ne sera crepuscula ludant. 165
 Oh, quam fallaces saltus, quamque inuia sylvae est!
 Sis igitur foelix, quando te iungere nobis
 Abnuis hospitio, quod rura reuisere cordi est.
 Quin, si te nostri non penitet, huc praecor, adsis
 Vt primum miserae permittunt oia curae. 170
 Nam tibi uel magni referam primordia mundi,
 Vtque deus caecam et nullo discrimine molem
 Lampade lustratam Phoebi secreuit et ipsam
 Tellurem medio librans circundedit undis.
 Vel referam natum, quem miscens aethera finxit 175
 Iapetionides, limo meliore politum.
 Aut referam, docuit quondam quae maximus Atlas,
 Atlas, qui caelum et fragrantia⁸⁶ sustinet astra,
 Quique et filiolas septem inter sidera cernit.
 Dixerat haec. 'Equidem paucis te demoror,' inquam, 180
 'Imminet obscura noctis caligine Phoebe.
 Cras rediturus eo, ni mi spes irrita fallit,
 Sacrorum uatum decus ac mens hospita Musis.
 Carmen namque tuum tanta dulcedine nostros
 Affecit sensus tantaque libidine mentem 185
 Illexit. Cupiam magis huc remeare uiator
 Quam properare domum blandosque reuisere natos
 Post uarios casus et durae tedia uitae.
 Ergo uale et nobis aliquod meditare poema.'
 His dictis discedo alacer. Tum culmine uillae 190
 Anxia Vulcanum coniunx succendit et illuc
 Dirigo festinos ad nota cacumina gressus,
 Carmine sylvarum tenebrosa silentia rumpens. /B 18r/ /V 21r/

⁸⁵ *ex pyndareos corr. B*

⁸⁶ *sc. flagrantia*

Me tamen in multam noctem, Illicyne,⁸⁷ recepi.
 Frigida namque Senis caelum sarraca Boëtae 195
 Scandebant toruusque⁸⁸ Draco succenderat astra.
 Expectatus adhuc, mensae succedo paratae.
 Vidimus haec ruri. Non sunt sine numine rura
 Nostra. Tamen pauci, quos uirtus semper honestat,
 Accepti hospitio diuum sermone fruuntur. 200
 Adsunt cornipedes fauni satyrique salaces.
 Pan nemorum cultor, cui tempora pinus opacat
 Ingens et media turgescent cornua fronte,
 Pan sonat argutis calamis, glomerantur et ipsae
 Ad numerum Dryades⁸⁹ saltu facilesque Napeae. 205
 Est ruber ingentique territat inguine fures,
 Loradis⁹⁰ usque memor pandumque perosus asellum,
 Syleni quondam uectorem. Dulcia quippe
 Furta dei rauca turbauit uoce nefandus.
 Omnia plena diis sunt ruri. Turba profana 210
 Agricolae arcentur uisu, non impia cernunt
 Lumina. Quos inter noctuque dieque uagantur,
 Ecquis sacrilegos fossore iure negabit
 Congressu diuum extrudi, quorum improba mens est
 Criminibus nullis impar, quin pessima lingua 215
 Peierat et uirus semper praeructat amarum.
 Dii faciles illis, qui turpia crimina peius
 Morte timent, pulchrae quique et uirtutis amore
 Allecti culpam fugiunt, sectantur honestum,
 Moribus insignes linguaque ac pectore ueri. 220
 Hi sunt, quos sancto dignantur numina caetu
 Ambrosiisque adhibent dapibus post nectare sacro.
 Confoti passim magnis sermonibus astant,⁹¹
 Protinus atque deum dociles arcana capessunt.
 Tu modo, quem pietas et dulcis gratia Musae 225
 Efficit insignem probitate ac nomine claro,
 Illicyne, ueni, coramque affabere uatem
 Syluicolam et magni disces primordia mundi.

⁸⁷ *sc.* Bernardo Illicino: *ex Illicyne corr. B*

⁸⁸ *post corr. B*

⁸⁹ *ex driades corr. B*

⁹⁰ Lotidis *V*: *ex Loadis corr. B*

⁹¹ *ex adstant corr. B*

IN NATALI MARIAE VIRGINIS SANCTISSIMAE ODE

/B 19r/ /V 22r/

Virginis diuae redeuntis horam
 Quisque natalis celebret benignam,
 Mente nunc omnes bona uerba pura
 Dicite gentes.

Illa, supremo gradiens Olympo,⁹²
 Hospitae matris sterilem reclusit
 Protinus uentrem Iohachinque fecit
 Alma parentem.

5

Anna maternos uteri labores
 Non tulit. Nixu placido Mariam
 Edidit caeli sobolem, supremo
 Numine cretam.

10

Hanc dedit diuum sator atque caeli,
 Conditor terris hominumque rector,
 Nos ut a culpa reuocaret atra et
 Morte profunda.

15

Filium uirgo peperit Tonantis,
 Vnicum patri similem paremque,
 Voce caelesti genitum pudoris
 Et sine tactu.

20

/B 19v/ /V 22v/

Virgines sanctae puerique casti,
 Fronde Phoebea redimite crinem
 Et simul cantu celebrate laeti
 Virginis ortum.

Dicite alternis numeris Mariam,
 Quae deo tantum placuit supremo.
 Hanc sibi sedem peteret, futurus
 Mortis in ora.⁹³

25

[Virgines:]
 O decus caeli specimenque terrae,
 Nautis sidus pauidis amicum,

30

⁹² *ex holympto corr. B*

⁹³ *ex hora corr. B*

Virginum alternos modulos benigna,
Suscipe, Virgo.

[Pueri:]

Indolis primae pueros canentes,
O salus nostra, o hominum quietum,
Littus, o fessis requies perennis,
Respice, Diua. 35

[Virgines:]

Sola mortales Barathri⁹⁴ profundum
Eximis poenis et amoena caeli
Pandis, o mestis miserisque Virgo,
Portus et aura. 40 /B 20r/ /V 23r/

[Pueri:]

Nemo qui speret, duce te, peribit,
Sit licet saeuus ditus⁹⁵ periculis.
Carceris diras fugiet cathenas,
Qui tibi credit.

[Virgines:]

Quisque confidat precibus Mariae
Numen iratum reuocare caeli
Et dei fulmen retinere dirum
Virginis ore. 45

[Pueri:]

Illa terrarumque Herebique⁹⁶ monstris
Imperat. Seruit titubans Trifauces
Cerberus, quamuis onerent colubres
Horrida terga. 50

[Virgines:]

Liuor infernis recreatus hydris
Et malae mentis recident furores,
Diua cum nobis aderit benigno
Numine Virgo. 55

[Pueri:]

Non opus ferro iaculisue saeuus,
Non opus cornu et celeri sagitta,
Cui fauet Christi genitrix Maria,

⁹⁴ *ex baratri corr. B*

⁹⁵ *post corr. B: deditus V*

⁹⁶ *herbique B*

Gloria diuum. 60 /B 20v/ /V 23v/

[Virgines:]
Tutus errabit per inhospitales
Protinus syluas, loca senta. Numquam
Horreat, quisquis fuerit Mariae
Nomine fretus.

[Pueri:]
Ergo natalis ueneneremur almi 65
Festa, quae rursus redeunt in annum,
Floreis sertis, et acerra turis⁹⁷
Fumet in ara.

[Virgines:]
Mente quin pura et genibus reflexis,
Gratias magnas agimus, polorum 70
Conditor. Nata est tibi sponsa Virgo
Vsque futura.

[Pueri:]
Haec tibi natum peperit, salutem
Perditi culpa generis parentum
Prorsus humani, Sator alme rerum et 75
Maxime diuum.

[Virgines:]
Virgines castum pariter⁹⁸ precamur
Corpus ut nobis animum pudicum
Des et ingentem sobolem maritis
Longaque fata. 80 /B 21r/ /V 24r/

[Pueri:]
At probos mores docilemque mentem
Da iuuentuti atque⁹⁹ animum uirilem
Et senectuti placidam quietem.
Annue, Virgo.

[Virgines:]
Fertiles terras salubresque uentos 85
Pacis et munus ueniamque culpis
Poscimus, laetis animasque ponas
Sedibus usque.

⁹⁷ *ex turris corr. B*

⁹⁸ *iugiter V: post corr. B*

⁹⁹ *et V: post corr. B*

[Pueri:]

Pontifex summus Pius atque mitis
Barbaras gentes subigat trophaeis
Et crucis signum ueneretur omnis
Protinus orbis. 90

[Virgines:]

Turcus infoelix miserumque monstrum
Martiis pugnis Italisque turmis
Victus Aeneae subeat triumphos
Numinis almi. 95

[Pueri:]

Innocens uates, numeris decorem
Qui dedit nostris, habeat benignum
Numen utrumque et meritum laboris
Sentiat ultro. 100 /B 21v/ /V 24v/

: 7 :

AD APPOLLINEM IN PUMILIONEM OBTRACTATOREM

Vir mihi Pygmeus, cubito non altior uno,
Indixit bellum. Pulcher Apollo, faue.
Fer modo uictrices faretras, fer spicula dirus,
Quis¹⁰⁰ cecidit Phyton, sanguine tincta malo.
Obuia si qua tibi fuerit, dum peruolat, ibis 5
Aut uultur, tecum duc, pater alme, precor.
Gens haec, assiduis rostris uexata, uolucres
Horret et una satis praelia nostra leuat.
Vnguibus aut rostro uultur raptabit adunco,
Aut ibis solidum sorpserit una uirum. 10

Francisci Patritii Poematum liber primus explicit.
*Incipit secundus.*¹⁰¹

/V 25r/

[LIBER SECUNDUS]

¹⁰⁰ *ex Qui corr. B*

¹⁰¹ *add. foeliciter post secundus V*

AD AENEAM PIUM II PONTIFICEM MAXIMUM SANCTISSIMUM¹⁰²

Si qua uidebuntur nostris minus apta libellis
 Aut male compositis pedibus preparare, nec illud
 Nescioquid priscum redolere aut trans mare uectum, /B 22r/
 Da ueniam uatum, Sanctissime. Tempora dira,
 Quae mihi diuitias, patriam, dulcesque penates 5
 Eripuere, animum multis meroribus¹⁰³ urgent.
 Nanque agor incertus uitae, ceu naufragus undis
 Nauita qui mediis rapitur minimamque tabellam
 Exiguam lacerae puppis deprendere partem
 Nititur¹⁰⁴ ac digytis udam uix seruat aduncis. 10
 Nescia mens animusque uagus non parturit unquam
 Grande aliquid. Furor ille sacer, quem sidera paucis
 Infundunt, animi requiem mentemque serenam
 Exigit et curae nunquam¹⁰⁵ miscetur edaci.
 Ingenium si forte uomit, stimulante dolore, 15
 Qualescunque potest uersus, fornacibus ipsis
 Vix coctam eripio massam nec tergere lima
 Dignor opus scabrum Siculo nec pumice mundum. /V 25v/
 Ocia qui possum placidis permittere Musis,
 Et decies reuocare animo nascentia uerba¹⁰⁶ 20
 Atque unguis morsu pluteumque lacessere ferro,
 Cum mihi nulla quies mentis, non ulla laborum
 Sit mora, prosiliunt curae saeuique dolores? /B 22v/
 Agmine perpetuo neque enim iam contuor horam,
 In qua non longe exuperet mensura malorum. 25
 Sed si quando mihi felix¹⁰⁷ illuxerit astrum,
 Teque uolente malis finem praescripserit ordo
 Fatorum, atque Ioui caedet¹⁰⁸ Saturnius ignis,
 Vt Stygiis liuor sese ulciscatur in undis,
 Tunc mihi, qui tacito singultat pectore merens 30
 Spiritus, et curis semper uexatur iniquis,
 Suggestet egregios uersus, cum numen amicum
 Senserit atque inopi non formidare senectae

¹⁰² Ad Aeneam Pium pontificem maximum sanctissimumque Πρόσοδος *V*

¹⁰³ *ex moeroribus corr. B*

¹⁰⁴ *ex Nitur corr. B*

¹⁰⁵ *ex numquam corr. B*

¹⁰⁶ *post corr. B: metra V*

¹⁰⁷ *ex foelix corr. B*

¹⁰⁸ *sc. cedet*

Ceperit et blandos quandoque reuisere¹⁰⁹ soles.
 Tum, quae iamdudum penetralia nostra reliquit, 35
 Hospita Calliope, saevis uexata quaerelis,
 Iam properet sacris comitata sororibus ultro,
 Cum tua conciui ridebunt numina uati. /V 26r/

: 2 :

DE CHRISTI NATALI
 AD AENEAM PONTIFICEM SENENSEM POETAM INCLYTUM¹¹⁰

Lycidas, Menalcas, Nuntius, Ioseph¹¹¹

[Lycidas:]
 Quid modo concubia meditaris nocte, Menalca?
 Sedulus ac caeli tractus et sidera seruas. /B 23r/
 Exigis insomnis praelonga silentia noctis,
 Te neque permulcet somnus, pars optima uitae.

[Menalcas:]
 O Lycida, gelidi relegebam signa Boetis,¹¹² 5
 Fulgentem Arcturum subter praecordia, et illa
 Quae docuit quondam Moeris praesagia uitae.
 Velleribus niueis adoperta cacumina cernes
 Cras, nisi me uani fraudarit dogma magistri.
 Sed tu nocturnis tandem quid uepribus erras? 10

[Lycidas:]
 Buccula lasciui fugiens contagia tauri,
 Delituit sylua. Vix multa ego nocte redegi
 Algidus, esuriens. Nunc sera mapalia quaero,
 Quando quidem extinctos iamdudum contuor ignes.

[Menalcas:]
 En tibi uulcanum magnae de robore quercus, 15
 En tibi fiscellam. Cerealia munera sume,¹¹³
 En quoque caseolos. Seruetur buccula septis. /V 26v/

¹⁰⁹ *post corr. B*

¹¹⁰ De Christi Natali ad Aeneam pontificem Senensem poetam inclytum] Francisci Patricii Egloga de Cristi
 nativitate ad inclitum poetam Eneam pontificem Senensem excellentissimum *P*

¹¹¹ *Aegloga add. post Ioseph V*

¹¹² *Boetae V*

¹¹³ *summes P*

Huc ades. Interea mecum spectabis Olympum
 Vel fessus molli poteris requiescere culmo,
 Dum Phoetontis equi perfundant lumine campos. 20

[Lycidas:]
 Muneribus tantis seruas me, care Menalca,
 Non secus ac dulces natos fouet anxia mater. /B 23v/
 Di tibi fortunent, messem pecuaria¹¹⁴ natos
 Et modo perpetuos Iordanis praebeat haustus.
 Dulcia corticibus stillent tibi nectare mella 25
 Incultique etiam sudent opobalsama sentes.
 Tu tamen interea gelidos edisce triones.
 Ante focum panis languentia membra fouebit.

[Menalcas:]
 Auguror en magni quicquam, nutantia cerno
 Sidera. Precipitant lapsus stellaeque coruscant 30
 Vsque adeo ut tremulos credas ardere cometes.
 Voluitur Heridanus flamataque cornua tollit.
 Prosilit et rutilat¹¹⁵ Draco, quin¹¹⁶ furit ardua patrem
 Andromedae¹¹⁷ fugiens fidicenque exulat Arion.
 Spicula contorquet Virgo. Micat usque Corona. 35
 Ah te, quid moror, o¹¹⁸ Lycida? Ruit undique caelum.
 Ah ego, ne flammis uratur mundus iniquis! /V 27r/
 Di maria oceanum laticesque inuergite¹¹⁹ Auerni.
 Audieram quosdam magicas uulgasse per artes,
 Venturum in cinerem mundum, cum Iupiter igni 40
 Aethereo nixus magnos exusserit orbes.
 Heu¹²⁰ redit, ecce, chaos, pluet igni ac sulphure. Magna /B 24r/
 Intremittit en tellus, pauido et sudore¹²¹ madescit.¹²²
 Huc, age, sis, Lycida, amplexi moriamur in unum.

[Lycidas:]
 Buccula (sit faustum!) suspectat lumine caelum 45
 Succubuitque genu et magnum ueneratur Olympum.
 Sunt et oues genibus flexis et numen adorant.
 Protinus intonuit caeli iam parte sinistra,

¹¹⁴ per uaria P

¹¹⁵ post corr. B

¹¹⁶ cum P

¹¹⁷ sc. Andromede

¹¹⁸ add. s.s. B manu correctoris

¹¹⁹ immergite P

¹²⁰ Non P

¹²¹ et sudore in marg. add. B manu Patritii.

¹²² madescet P

Omina¹²³ quae quondam nostri dixere benigna.
 Ne trepida. Deus usque deus miserebitur. Ecquid¹²⁴ 50
 Aethereo dilapsa polo Cyllenia proles
 Deuolat? Agnosco faciem rutilumque capillum.
 Sed desunt¹²⁵ pedibus talaria gemmea.¹²⁶ Quisquis
 Sis, praecor, o¹²⁷ foelix? Caelestis nuncius aulae¹²⁸
 Ecce, uenit. Referet¹²⁹ summi mandata Tonantis. 55
 Horreo flagrantem oculos uultumque coruscum
 Nec perferre aciem possum. Tremebunda labascunt /V 27v/
 Membra gelu. Tremulis nequeo consistere plantis.

[Nuncius:]

Quo falsa attoniti ruitis formidine? Quid nam,
 Pastores, fugitis, torpentes? Sistite leti¹³⁰ 60
 Et quaecunque, metu posito, deus aethere summo
 Nunciat, intentis ediscite mentibus¹³¹ ultro. /B 24v/
 Progeniem omnipotens, miseratus crimina mundi,
 Dimisit caelo magnique potentia¹³² patris
 Vnica natus erit rerumque accepit habenas, 65
 Cui maria et caelum, tellus,¹³³ Acherontia templa
 Parebunt. Christi nomenque uerebitur¹³⁴ omnis.
 Hunc peperit Virgo et, nunquam polluta uirili
 Congressu, verbo diuini numinis aucta est.
 Huius in aduentu exultantia astra cernitis¹³⁵ 70
 Omnigenumque pecus, terram, Neptunia regna.
 Vana superstitio cecidit simulacraque falsa
 Lapsa cadunt, Christum¹³⁶ uerum testantia numen.
 Nunc tranquilla quies, nunc pax erit inclyta terris.
 Aurea composito redeunt¹³⁷ nunc secula mundo. 75
 Ite, igitur, sanctum uenerantes discite numen.
 Lumine¹³⁸ stella micans facili uos limite sistet.

¹²³ Omnia *P*

¹²⁴ et quid *P*

¹²⁵ desinit *P*

¹²⁶ Talaria gemmea] geminata talaria *P*

¹²⁷ et *P*

¹²⁸ aule *P*

¹²⁹ ex refert *corr. B*

¹³⁰ ex loeti *corr. B*

¹³¹ ex menibus *corr. B*

¹³² post *corr. B*

¹³³ terras *P*

¹³⁴ ex uerbitur *corr. B*

¹³⁵ astra cernitis *transp. VP*

¹³⁶ Christi *V*

¹³⁷ redeant *P*

¹³⁸ Numine *P*

[Menalcas:]		/V 28r/
O caeli interpres, o uox prenuncia diuum!		
Audi, pastores, alarum. Comprime nixus.		
Respice, tendentes ad sidera, respice, palmas.	80	
Heu fugit aethereas uolitansque euanuit auras,		
O Lycida, et nostras uoces frustratur inanes.		/B 25r/
Heu fugit! Incepto sic nos sermone reliquit,		
Vt solet ex siccis depulsam faucibus agnam,		
Vberibus matris sitientem, linquere pastor.	85	
[Lycidas:]		
Praestat nunc mandata sequi. Quaerenda, Menalca,		
Est uia, qua superi regis ueneremur alumnum. ¹³⁹		
En tibi promissum sidus, uestigia nostra		
Duxerit. Errantes monstrat per deuia calles.		
[Menalcas:]		
Ocius at propero, nec me res ulla moratur,	90	
Quin te, magne, deum queram castamque parentem.		
Annua iamque tibi iugulabitur hostia septis		
Pinguior e nostris sertisque ¹⁴⁰ ornabitur ara.		
[Lycidas:]		
Ipsa ego praefulua mactabo fronte iuuenem.		
Mella feram calathis, panchaeo ture litabo.	95	
Hic erit ille deus, quem dicunt scribere Mosen ¹⁴¹		
Pastores, regum regem diuumque potentem.		/V 28v/
Dixerat Alcidas uocem sensisse per umbam		
Clamantis, "Rerum dominum cognoscite, gentes."		
[Menalcas:]		
Ast ego nunc memini Moerim dixisse Sibyllam	100	
Fatidicam dederat mentem cui clarus Apollo,		
Euboicum, stimulante deo, cecinisse per antrum		/B 25v/
Progeniem caelo quondam dimittier alto,		
Qua redeat priscum mundus uicturus in aurum. ¹⁴²		
Hic puer aeterni reserans ¹⁴³ mandata parentis	105	
Delectos procures caelesti rore rigabit.		
Astream referet ¹⁴⁴ terris castamque sororem		
Et frontem glauca redimitam prorsus oliua		

¹³⁹ alumni *P*

¹⁴⁰ septisque *P*

¹⁴¹ mopsen *P*

¹⁴² auram *P*

¹⁴³ referens *P*

¹⁴⁴ refert *P*

Pacem, quae miseris nunc uix est cognita terris.
Hic quoque Tartarei portas effringet Auerni 110
Insontesque animas sanctorum reddet Olympo.
Dixerat haec Moeris, memini. Nam caetera mentem,
Heu, Lycida, nostram fugiunt. Hanc ille canebat
Progeniem aeterno diuinam numine cretam.

[Lycidas:]
Desine plura modo et speculam conscende, Menalca. 115
Eia age, nunc propera! Fulgentia tecta uidebis
Ignibus haud nostris fumosis. Lampade caeli /V 29r/
Illa micant. Superi praetendunt lumina dextris.
Aspice semideos manes, quos ardua uirtus
Donauit caelo, uolitantes culmina circum. 120
Caelicolae famulantur enim, pia turba ministrat.
Hi referent¹⁴⁵ uiolas, ast imbres¹⁴⁶ ille rosarum /B 26r/
Spargit. Perpetuo uernant conuexa Tonantis.
Maturare uiam praestat uisendaque sancta.
Est hominum mundique¹⁴⁷ quies diuumque propago. 125

[Menalcas:]
Sed qui nunc aditus nobis, quiue hostia pandet?
Pro foribus foelix¹⁴⁸ obseruat limina Ioseph.
O dilecte senex superis, O ianitor almae
Vsque domus, iussu diuum uenientibus adsis.

[Ioseph:]
O fortunati pastores, cernite regem 130
Aethereum, genuit summi quem conditor orbis
Et pastoralis peperit sub culmine Virgo.
Ponite uota deo et castae procumbite matri.
Hinc uitam uobis, fata et meliora petatis.
Nam dabit hic requiem fessis atque ocia mundo. 135

[Menalcas:]
Alma dei solobes diuorum maxime Iesu,
Terrarum caelique¹⁴⁹ decus hominumque redemptor, /V 29v/
Respice ruricolae pastores, numine iussos
Huc properare sacro, et nostris nunc uocibus adsis.
Pabula da laeto pectori foetumque feracem, 140
Frugibus et grauidas messes, quin ruris alumni.

¹⁴⁵ referunt *P*

¹⁴⁶ *post corr. B: hvmbres P*

¹⁴⁷ *ex undique corr. B*

¹⁴⁸ *ex foelix corr. B*

¹⁴⁹ *ex caeli corr. B*

O bone, da facilem uictum longeuaque fata, /B 26v/
 Nostraque felicem¹⁵⁰ comitentur tempora pacem.
 Tu tamen ante alias longe, sanctissima Virgo,
 Rectorem connixa poli, nunc adnue uotis. 145

[Ioseph:]
 Este¹⁵¹ animo intrepido. Firmauit singula uobis,¹⁵²
 Ecce, deus risu facili, quo temperat astra
 Atque serenato depellit nubila caelo.
 Ite alacres igitur, communia gaudia cunctis
 Pandite, pastores,¹⁵³ natumque edicite¹⁵⁴ Christum. 150

: 3 :

AD GREGORIUM LOLLIIUM DE URBIS DESIDERIO
 A QUA PESTILENTIAE CAUSA TRIENNIO ABFUERAT

Lolli, delitium, Lolli, spes plurima Senae,
 Lolli, noster amor, Lolli doctissime, salue.
 Tertia mortifero iam debacchata furore
 Saeuit adhuc aestas, miseris cultoribus haustas /V 30r/
 Corradens urbes. Nam lurida perfurit usque 5
 Persephone, monstribus Herebi comitata nefandis,
 Et uiui quicquid superest, demittitur Orco.
 En dabitur dirae pesti modus, en erit unquam,
 Vt redeat placidi rursus clementia caeli.
 Tum fessi effugiis tandem reddemur auitis 10 /B 27r/
 Sedibus et patriae casus didicisse pigebit.
 Tedia me subeunt ruris. Me rustica uexant
 Ingenia et mores ad singula crimina proni.¹⁵⁵
 Ruricolae ignorant superos nullaque tenentur
 Relligione deum, iurandi iuris iniqui. 15
 Quos neque sancta fides neque legum cura coercet,
 Ingenuusue¹⁵⁶ tenet pudor aut reuerentia recti.
 Illis lingua procax absentes latrat in omnes.
 Blanditurque tamen coram temeraria mendax
 Et cui iuratae nequicquam credere possis. 20

¹⁵⁰ ex foelicem corr. B

¹⁵¹ post corr. B

¹⁵² post corr. B

¹⁵³ pastoribus P

¹⁵⁴ ediscite P

¹⁵⁵ ex poni corr. B

¹⁵⁶ post corr. B

Inter mortales sanctissima ruricularum
 Est ars,¹⁵⁷ caelicolis qua numquam gravior ulla,
 Nec qua plus liceat mortalibus esse beatis.
 Hanc uos polluitis¹⁵⁸ studiisque agitatis iniquis, /V 30v/
 Agricolae, et manibus semper temeratis aduncis. 25
 Tres modo uos inter quod degere cogimur annos,
 Poenitet atque utinam ne nos contagia laedant
 Bardaica¹⁵⁹ et stolidi mores. Nam protinus inter
 Degenerant uepres felices¹⁶⁰ semina plantae,
 Et mala rubigo uicinas urit aristas. 30 /B 27v/
 At polypus terrae, qua subiacet, usque figuram
 Accipit,¹⁶¹ ingenitum fertur mutare colorem.
 Me desiderium patriae, me cara uoluptas
 Natalis reuocat terrae, sanctique penates,
 Me quota, pars lacere puppis, reuocatis, amici! 35
 Tu tamen ante alios omnis, clarissime Lolli,
 Attica cui finxit praestans Academia pectus
 Sacraque Pythagorae monuere silentia mentem,
 Tecum et enim dulces socios carosque sodales
 Conciuesque alios, quos Parca malaeque tenebrae 40
 Perpetuis uita fraudatos noctibus urgent,
 Et lustrare uelim et meritos infigere honores
 Sarcophagis, quo sera legat testantia mores
 Carmina posteritas et nomina discat auorum. /V 31r/
 Funera non licuit postquam comitarier, optem, 45
 Protinus inferias rite instauremus ademptis.
 Haec sunt, quae uiui possunt praestare sepultis
 Munera. Nam molles lachrymae¹⁶² maestique dolores
 Foemineusque labor pullam foedare lacernam
 Et madidam squalore diu summittere barbam 50 /B 28r/
 Nil prodest, nigris ubi uirga compulit umbris
 Magnus Atlantiades¹⁶³ furuo uel abegit Auerno.
 Non praecibus, non ture pio rex pallidus Orci
 Flectitur. Aeterni baratri recludere fata
 Humanae nequeunt uires. Qui uescimur almae 55
 Munere telluris, prorsus moriemur et undam,
 Quam magni iurant¹⁶⁴ diui et Sator ipse deorum,
 Nabimus et numquam superas referemur ad auras.
 Arcebit reditu nos interfusa uorago

¹⁵⁷ *post corr. B*

¹⁵⁸ *pollutis V*

¹⁵⁹ *Bardiaca B V*

¹⁶⁰ *ex foelices corr. B*

¹⁶¹ *At Polybus ... Accipit B] post corr. B manu Patritii: Ad speciemque soli subiecti Polypus usque / Corporis V*

¹⁶² *ex lacrymae corr. B*

¹⁶³ *ex Athlantiades corr. B*

¹⁶⁴ *post corr. B*

Ardentis ripas saeui Phlegetontis et atris	60	
Sanguineus Cocytus aquis totiensque ¹⁶⁵ refusa		
Vertice sulphureo Styx et, maerore ¹⁶⁶ redundans,		
Maestior his Acherons, quibus inremeabilis unda est.		
Linquimus heu terras, heu dulcia pignora natos,		/V 31v/
Anxia perpetuo cunctis patrimonia, culta ¹⁶⁷	65	
Iugera frugiferae segetis, pecuaria, census,		
Diuitias, totidem seruata numismata pennis, ¹⁶⁸		
Dilectamque domum et gratae commertia uitae.		
Linquimus ambitam per tot discrimina laudem.		
Nec nos consequitur rumor nec principis aura.	70	/B 28v/
Excipit, heu, paruae nudos ferrugine cymbae		
Portitor horrendus fulvaeque exponit arena ¹⁶⁹		
Ignotae ripae propter uada liuida tabo.		
Non reges, non ipsa deum sanctissima proles		
Indomitae potuit leges praescribere morti.	75	
Ingentes cedunt scopuli praeruptaque saxa		
Aeue obnitenti. Sic moles uicta labascit.		
Desidunt montes et flumina sicca fatiscunt.		
Vsque adeo semper duris obnoxia fati		
Omnia sunt. Nequeunt naturae foedera uinci.	80	
Ergo parentadum ¹⁷⁰ Lachrymis ¹⁷¹ sine ulla uidemus		
Damna resarciri luctu aut dispendia uitae,		
Sed leuiora facit prudens patientia, cum sit		
Omnibus haec eadem sors. Omnes cogimur illuc,		/V 32r/
Victima Tartarei Iouis usque aut praeda futuri.	85	
Viuendum recte est atque omni labe carendum.		
Semita uirtutis sola est, quae ducit amoenos		
Prorsus ad Aelios campos, loca laeta piorum.		
Ardua namque animi uirtus, tolerare dolorem		
Docta, cupidinibus numquam torretur auaris	90	/B 29r/
Laetitiae leui gestit, formidine numquam		
Frangitur. Humani quicquid contingere possit		
Semper praemeditans, mala decoquit atque labores		
Occupat, et numquam uiuentibus addita fata		
Horrescit mortem. Sed contra despicit usque	95	
Atque minora putat sese omnia, quin sibi merces		
Ipsa satis, contemnit opes nil indiga rerum		
Externas, negligit laudem nec poscit honorem.		
Inuitam sequitur tamen hic, ceu corporis umbra.		

¹⁶⁵ totidemque *V*

¹⁶⁶ ex moerore *corr. B*

¹⁶⁷ ante culta *del. census B*

¹⁶⁸ sc. petiis

¹⁶⁹ ex area *corr. B*

¹⁷⁰ sc. parentandum

¹⁷¹ ex lacrimis *corr. manu Patritii B*

Sed redeat sermo magnis anfractibus haustus 100
 Ad diuerticulum. Si noxia sidera cessant
 Et redit optati rursus clementia caeli,
 Vt lue purgata placatus regnet Apollo,
 Ah, ualeant rura et placidam redeamus in urbem, /V 32v/
 Manibus ut tandem lustratis thure¹⁷² Sabaeo 105
 Aonio mestos solemur pectine ciues.

: 4 :

DE CASU FULMINIS AD ACHILLEM PETRUCCIUM

Praestitit ut magno Pylades praeclarus Oresti
 Munus amicitiae, Damoni ut Pythia quondam, /B 29v/
 Phthius ut Aeacides Patroclo, utque Epaminundae
 Pelopides, animi sic tu pars maxima nostri,
 Plurima Patricio soluisti, dulcis Achille, 5
 Munera. Pirithoum superas et Thesea fidum
 Atque alios, mendax quos Graecia fecit,¹⁷³ amicos.
 Praestas κοινὰ φίλων nec iactas uoce tragoedus,¹⁷⁴
 Vir probitate animi et nulli uirtute secundus.
 Nam miseri angustam sortem carique sodalis 10
 Esse tuam ducis teque et tua suggeris ultro.
 O igitur nobis, indulgentissime, casum
 Accipe, quem potui uix exanclare, fouente
 Numine Apollineo pulchroque adiutus Iacho.
 Lux aderat, Veneri sacrum quae findit Aprilem, 15 /V 33r/
 Cum dulces socios linquens ac limina grata,
 Deuehor, accliui cupiens euadere terga
 Ilcini ac praetor raucos audire clientes.
 Hinc, ubi digredior, sol circum singula lustrat
 Nigra nec ambiguum nubebat fascia caelum. 20
 Tunc uolucres tremulo complebant carmine syluas
 Et uirides suaue spirabant floribus herbae. /B 30r/
 Muneribus comites uernis ac tempore laeti
 Alma uoluptatum mater, pulcherrima Cypris,
 Alternis modulis teque et tua numina laudant. 25
 Africus interea, Libycis¹⁷⁵ demersus in undis,
 Perflat et obscura tendit caligine caelum.

¹⁷² ex ture corr. B

¹⁷³ ex facit corr. B

¹⁷⁴ ex tragedus corr. B

¹⁷⁵ ex libicis corr. B

Soluuntur nubes, pluua conspergimur omnes.
 Apparent nusquam tegetes et culmina nusquam
 Villarum aut patulae praetendunt brachia quercus. 30
 Nec datur inuidiam nymborum pellere tecto
 Nec celerare gradum. Tollit se lubrica tellus
 Vt nequeat tremulam sonipes infigere plantam.
 Progredior tandem madidus, ne ac fessus et algens
 Callibus ambiguus obscura nocte pererrem. 35 /V 33v/
 Ilcini ad sedes postquam deuenimus, ecce,
 Nos famuli accipiunt. Vdam deducere uestem
 Festinant celeres siccamque inducere rursus,
 Expediunt epulas alii. Nos igne fouemus
 Languida tantisper uix et coeuntia membra. 40
 Quid tamen eueniat nobis caenantibus audi
 Et miserere iterum. Furuum prope uidimus Orcum /B 30v/
 Cocytique sinum Stygiamque innauimus undam.
 Vulcani interea confoti munere mensae
 Astruimur. Gliscunt infesto turbine nymbi 45
 Et micat horrissonis attritis nubibus aether.
 Tum, ruere ut credas ingenti pondere, caelum
 Intonat. Egreditur magna ui fulmen et altam
 Cenacli turrim, nobis quae prominet, igne
 Aethereo ferit. Ecce, ruit tabulataque frangit. 50
 Saxorum moles internos spargitur atqui
 Descendit fulgur mensamque amburit et omnes
 Flama uiros lambit fumoque ac sulphure complet.
 Sternimur attoniti moribundaque corpora terrae
 Voluuntur. Minimo singultant pectora nixu. 55 /V 34r/
 Cynthius aethereo postquam despexit Olympo,
 Quo res nostra loci uel quo discriminis esset,
 Tempora cyrraea praecinctus fronde, Lyeum
 Deuocat et pariter nigra inter nubila uecti
 Deueniunt. Animas, quae iam mortalia membra 60
 Linquebant, miseris reddunt ignemque coruscum,
 Quem rabidi circum glomerabant undique uenti, /B 31r/
 Quique domus uictor iam iam super ardua regat,
 Diuino extinguunt nutu. Cadit improba flama
 Et ruit in cinerem carbo torpetque fauilla 65
 Meque adeo ingentis mundi mens pulcher Apollo
 Implicuit gremio et multis complexibus infit.
 'His ego, Patrici, flamis ac fulmine diro
 Nunc te corripui, quo carmine Caesaris arma
 Expedias uictosque duces Latiumque triumphum. 70
 Hunc modo regnator diuum Tyrrehna¹⁷⁶ per arua
 Dat regnare uirum, quo seua compede priscas

¹⁷⁶ ex Tyrrena corr. B

Post uarios aestus optato in littore, secum 110
 Non minus horrebat quam cum tremebundus et excors
 Desiluit¹⁸⁷ transtris, comptus de more, salutem
 Nequicquam poscens ac spe desertus ab omni.
 Nam procul e terra luctantia stagna furentis
 Neptumni aspiciens, per quae uix haeserat udus, 115 /V 35v/
 Deuctus laeui¹⁸⁸ per¹⁸⁹ saeua pericula tergo,
 Intremuit sortemque magis cognouit iniquam.
 Tunc monstrum allectum cithara¹⁹⁰ miratur et ipsum
 Complorat facinus. Tunc quae minus ardua duxit,
 Quaeque in praecipiti casu comtempserat, horret. 120
 Dii me seruarunt fatique uolatilis alas
 Prensarunt manibus. Dis¹⁹¹ uatum cura piorum /B 32v/
 Semper et a magnis hos eripere periclis.
 Archiloci mortis uindex diuinus Apollo
 Detulit auctores occulti criminis, unde 125
 Admissi sceleris condigna exempla tulere
 Exequiasque uiri crudeli morte parentant.
 Spartiatum magnas cum dux obsedit Athenas¹⁹²
 Lysander, noctu Bacchus uexare quietem
 Incipit atque suas hostes mandare sepulchro.¹⁹³ 130
 ‘Delitias sineret, meritum ne mortis honorem,
 Conclamat, ‘turbet.’ Tum dux exterritus amens
 Cognoscit tragicum uitam expirasse Sophoclem.
 Cecropidae bello uatis dum funera curant,
 Indicit ferias et dicto numinis audit. 135 /V 36r/
 Grannone¹⁹⁴ apud Scopam caenante Symonide lapsum
 Accipe triclinii et seruatum numine uatem.
 Laudari cupiens, hunc accercisse¹⁹⁵ poetam
 Egregium Scopas, quondam ditissimus auri,
 Dicitur et, famam praetio mercatus, amicos 140
 Conuocat.¹⁹⁶ Accumbunt laute bellaria postquam
 Semesa et crudi procures iam carmina poscunt, /B 33r/
 Ecce, Ceus¹⁹⁷ Scopam presenti conflatur honore.
 Hunc fortem magnumque canit, mortalibus unum
 Praefert, Tyndaridis solum uirtutibus aequat, 145

¹⁸⁷ *post corr. B*

¹⁸⁸ *lubrico V: post corr. B*

¹⁸⁹ *post corr. B*

¹⁹⁰ *post corr. B*

¹⁹¹ *Diis V*

¹⁹² *ex Athenis corr. B*

¹⁹³ *ex sepulcro corr. V*

¹⁹⁴ *sc. Crannone*

¹⁹⁵ *arcessisse V*

¹⁹⁶ *post corr. B*

¹⁹⁷ *Chius V: post corr. B*

Quos, pariter laudans, praedulci uoce perorat.
 Dimidium pacti precii se iure daturum
 Exclamat diues; superest quodcunque uidetur
 Si uati, petat a diuis. Nam munera cum sint
 Sortiti laudes, aequa tum lance facessant. 150
 Pro foribus iuuenes geminos deposcere uatem
 Nunciat inde puer. Festinat prodere. Postquam
 Egreditur, nullum circumspicit undique. Verum
 Explicat interea magnam domus, ecce, ruinam
 Et Scopam ac miseros epulantes comprimit omnes. 155 /V 36v/
 Illapsus cerebro praegrandi pondere truncus
 Sustulerat Flaccum, ni uatum Faunus amator
 Ictum coniecta dextra laeuaque tulisset.
 Quid prorsus cultor Phoebique¹⁹⁸ nouemque sororum
 Thespiadum timeam, cum sim manifesta deorum 160
 Cura, nec infestum ualeat me perdere fulmen?
 Tu quoque praeclaros inter, celebrande, poetas /B 33v/
 Securus pelagi, securus militiai,¹⁹⁹
 Securusque luis, qua pestis tabida uexat
 Ah miseros ciues! Multos uicturus in annos, 165
 Fortia magnanimi cantabis Caesaris arma.

: 5 :

DE IUSTITIA POPULORUM AD ITALOS²⁰⁰

Sparta potens, paucis quondam celebrata colonis,
 Dum sanctas coluit leges patremque Lyncurgum,
 Extulit imperium et magna uirtute triumphos
 Inuexit pauper. Sed postquam ferrea desit,
 Ingens et parui facienda pecunia, luxu 5
 Interiit, uictisque olim concessit²⁰¹ Athenis.
 Fictilia abiecit postquam sua pocula Roma /V 37r/
 Diues et, inuectis affecta libidine gazis,
 Exultans superos fastidit, regia iura
 Contemnens, postquam confectus puluere miles 10
 Ornauit patrias aedes trabibusque columnas
 Pressit ab extrema concisas Africa et omnis
 Luxuria inuasit uictricem protinus urbem

¹⁹⁸ cultor Phoebique *post corr. B*] Phoebi cultor *V: ante corr. B*

¹⁹⁹ *post corr. B*

²⁰⁰ De iustitia populorum ad Italos] Ad Italos *V⁶*

²⁰¹ *post corr. B*

(Deterior semper), ciuilia bella furentes /B 34r/
 Conflarunt ciues et multo sanguine caedes 15
 Horrendas. Periiit tandem respublica Poenis
 Hostibus infestis lacrimabilis. Omnia prorsus,
 Iura, fides, pietas, perierunt. Sacra profanis
 Caedunt²⁰² et sanctos²⁰³ mores depressit auarus
 Temporibus nostris. Lapsas imitabimur urbes. 20
 Nunc miseros solum plectit caensura, beatos
 Formidat proceres. Anacharsis scripsit Athenis.
 Vestrae, Cecropide, si uerum dicere fas est,
 Telis sunt similes, quas nectit Arachnea²⁰⁴ leges.
 Inbelles retinent muscas, sed ab alite foede 25
 Franguntur rapido. Pro res reticenda, Latinae²⁰⁵
 Sic leges. Periiit probitas, laudata per omnes. /V 37v/
 O utinam nostro non sit hoc carmine, uatis
 Spiritus, aut aliquid uenturi praescius aeui
 Dignoscat certe mendax sim. Fata ruinam 30
 Portendunt. Martis uideo noua signa furentis,
 Mollis consequitur praedas audaxque iuuentus:
 Vomeribus fessi glebas uersare²⁰⁶ salubres
 Siue ministeriis, ducti spe uiuere furto. /B 34v/
 Aestuat Italia ardenti terraue marique 35
 Bello. Sedetur prorsus furibunda libido
 Regnandi. Sat fit caelo terraue superbis
 Posse frui, Cynicis satis est. At dicimus haec nunc
 Frustra. Sed patriae studium cineresque sepulti
 Maiorum impellunt morituros edere uersus, 40
 Quamuis haec surdo non prosit fabula uulgo.
 Vera loquor. Timeo ne sim Cassandra Latinis.

: 6 :

DE INVIDIA ET OBTRACTATIONE IN POETAS
 AD SYNOLPHUM OTHERIUM

Tu me sincaerae fidei comes usque precaris
 Atque instas placidis uerbis uultuque modesto:

²⁰² sc. Cedunt

²⁰³ priscos *V*^o

²⁰⁴ ex aranea *corr. B*

²⁰⁵ Latinae] uel omnes *V*^o

²⁰⁶ ex uersare *corr. B*

Ordinar ingentem historiam dignumque cothurno ²⁰⁷		/V 38r/
Grandiloquo carmen famamque extendere nitar		
Vocibus Aonidum atque obliuia uincere mortis.	5	
Vera quidem ratio est angustae portio uitae.		
Perpetuum gaudet testem proferre laborum		
Et uixisse uiros sola haec industria monstrat.		
Proderit exemplo uates. Mandata Camoenis,		
Fortia gestia ducum numquam fraudauerit aeu	10	/B 35r/
Aeterni series fatigue uolatilis hora,		
Sed labor atque furor diuinae mentis et illud,		
Nescio quid dignum caelo, quod sola Minerua		
Edocet, et rutilis nobis immiscuit astris.		
Ocia tranquillae uitae uictumque benignum	15	
Exigit atque animum dira ²⁰⁸ anxietate carentem.		
Non ego caentenas ausim deponere uoces,		
Surrigat aut totidem mercedem carminis, aures,		
Vltima terrigenum, tandem soror illa Gigantum.		
Nam mihi sat fuerit comites adhibere peritos,	20	
Quos inter recitem, uerumque audire loquentes.		
Hi mihi consessus caueae plaususque theatri,		
Hi mihi sint instar populi laudisque coronae.		/V 38v/
Nam uirides herbas inter lasciua Thalia ²⁰⁹		
Dum ludit, gaudet celeresque sororibus orbes	25	
Permittit caeli. Nulla ambitione laborat,		
Quae tenues fuluis flores praeuerterit astris,		
Praeterea merces ingentis carminis, unde		
Aut qualis fuerit. Postquam contriuerit aeuum		
Infoelix uates multosque expalluit annos,	30	/B 35v/
Sobrius insomnis, fumo nebulaque lucernae		
Lippus, ut a nullo iam dignoscatur amico,		
Venum cuncta dabit uitae melioris ad usum.		
Si qua domi fuerint, uestemque opponere coget		
Algida paupertas, et nudi tempore brumae	35	
Filioli atque uxor lactentibus ubera natis		
Quae premit atque aliis pregnantem porrigit aluum,		
His super inuidiae facies squalore minaci		
Pastaque mortiferas angues ac lurida tabo		
Insequitur liuore malo terretque poetas.	40	
Stattus occubuit stylo ²¹⁰ enim confossus eodem		
Pectora, quo magno transfixae uindice muscae.		
Vos tamen, o muscae, monuit Iunonia penna,		/V 39r/
Cum flaret teneri manibus commota ministri,		

²⁰⁷ *post corr. B*

²⁰⁸ *dura V: post. corr. B*

²⁰⁹ *ex Talia corr. B*

²¹⁰ *ex stilo corr. B*

Atria crudelis domini fugeritis et aulam. 45
 Sed tu bisenos misero uigilata per annos
 Thebai digna satis pensasti praemia morte
 Vlta patrem. Nam cum primum uolitare per orbem
 Incipis et famam longum meruisse per aeuum,
 Inuida successu rabies commota secundo, 50 /B 36r/
 Ah, quales adhibet stimulos quantumque uenaenum
 Euomit et uati²¹¹ mortem meditatur iniquam!
 Litterulas didicisse dolet curamque parentis
 Increpat infelix²¹² Naso Sarmaticus exul,
 Et duram Lachesim, quod non breuiora dedisset 55
 Stamina, quae pullo deducit uellere maeret.
 Causa mali tanti uirtus et Apollinis artes
 Ingeniique sacer fons et pergrata Camoenis
 Pectora et innatus fibris felicibus²¹³ ardor
 Extitit. Inde ferox prorsus praecanduit ira 60
 Tartareusque furor diri liuoris et illum
 Vsque Thomitanam Scythicamque extrudit in oram.
 Pharsalici iuuenis Lucanus carminis auctor /V 39v/
 Lictori uenas, saeue poscente Nerone,
 Prebuit, heu Senecam miseranda morte secutus!²¹⁴ 65
 Et Iuuenalis adhuc Satyrarum praemia sensit;
 Missus in exilium, septem cum flumina Nili
 Vidit et Aegypti fines Thebenque²¹⁵ iacentem,
 Quae caentum fuerat quondam notissima portis,
 Hic tamen extorris patiti liuore cinaedi²¹⁶ 70 /B 36v/
 Pauper in ignota iacuit tellure sepultus.
 Excipit insidiis doctis, qui inuidit iambis
 Archilochum²¹⁷ perimitque uirum. Sed pulcher Apollo
 Indicat auctorem facinusque ulciscitur ultro.
 Immissas liuore canes lacerasse fatemur 75
 Euripidem tragicum. Macedum conuiuia regis
 Liquerat a magno non fastiditus amico.
 Haec exempla satis sint, o praeclare Synolphe,
 Vt quanti discas captetur gloria uati,
 Gloria sarcophago, ac titulis haesura sepulchri. 80
 Sed blandum caeli lumen dilectaque uita
 Est mihi nunc pluris quam si post funera laudet
 Omnis posteritas nostri monumenta laboris. /V 40r/
 Namque ego iam didici uiuis obstare poetis

²¹¹ *post corr. B*

²¹² *ex infoelix corr. B*

²¹³ *post corr. B*

²¹⁴ *post corr. B*

²¹⁵ *ex Therbenque corr. B*

²¹⁶ *post corr. B*

²¹⁷ *ex Archilocum corr. B*

Inuidiam. Laudamus enim quos oderat olim 85
Aemula segnitie oblatraratque popellus.
Ille poetarum numen diuinus Homerus,
Quo ueluti Oceano decurrunt flumina, lente
Murmurat hoc ualles inter rapiturque per Alpes,
Ast aliud secumque uehit nunc fragmina montis, 90 /B 37r/
Nunc teretes ornos. Illud circumluit urbem,
Hoc furit in mediam et magno cum uertice saeuit.²¹⁸
His tamen ingenti diuerso flumine lymphas
Nereidum gremio fundit pater unus et idem
Fons partier cunctis. Smyrneo lacte fouentur 95
Sic omnes uates. Riserunt secula prorsus
Hunc sua luminibus captum panemque rogantem,
Sed postquam caelo uenerandi numinis auram
Reddidit et numerum fulgentibus addidit astris.
O genus ignauum, quanta caligine mersi 100
Viuius! Ante bona ecquisquam dignoscere possit,
Quam sua perdiderit? Tunc omnis Graecia luget
Amissum uatem, quem uiuum spreuerat usque. /V 40v/
Inter se populi certant et originis huius
Argumenta refert quisquis. Nam Smyrna dicauit 105
Delubrum et uotis supplex damnatur alumni.
Hoc Chios, hoc Colophon, ciue hoc laetantur Athenae.
Huncque Pylos, Argos,²¹⁹ Ithaca, et Salamina reposcit.
Ambitiosa magis stimulat nunc gloria uanam
Ostentare urnam et conciuem scribere uatem, 110 /B 37v/
Quam uirtutis honos et diuae praemia linguae.
Grata quidem patria est uiuos, quae nutrit alumnos,
Non quae contemptis, seros indicit honores.

: 7 :

DE INCOMMODIS AC PERICULIS ITALIAE
AD BARTHOLOMEUM GAZARIUM

Nestoream o utinam possis superare senectam!
Vir, cui Fabritius libertatisque Camillus
Vindex atque auri Curius contemptor et osor,
Credere reliquias²²⁰ cuperent umbramque senatus
Victoris rerum, si qua est, urbemque Quirini, 5

²¹⁸ magno cum vertice saeuit B] magnis uerticibus exit V: post corr. B

²¹⁹ Argosque V: post corr. B

²²⁰ ex reliquias corr. B

Gesseris auspicio Aeneadum ductuque Quiritum,
 Roma catenatos cum uiderat ante triumphum 50
 Barbaricos reges ac uictum protinus orbem.
 Paruit imperio Trax, Indus, Sarmata, Maurus,
 Intrepidus Parthus, celerem post terga sagittam
 Excutiens uenturo hosti, intactusque Brytannus.
 Omnia lustrauit foelix audentia prisca, 55 /B 39r/
 Omnia perdomuit legem²²⁴ praescripsit et orbi.
 Erige nunc ueteres animos, Oenotria tellus.
 Eia, age, nunc propera! Iam iam, precor, arma capessat,
 Cui decus antiquum patriae est nomenque Latinum.
 En modo uictricem cerno.²²⁵ Mars excubat.²²⁶ Ecce,²²⁷ 60
 Rursus ad imperium rerum te deuocat. Audi!
 Non opus ingenti bello, non milite multo,
 Siue graui sumptu. Satis est ostendere mentes
 Concordesque animos Italos. Concesserit hostis
 Impius et uictum sese concesserit ultro. 65
 Allicit hanc in nos solum discordia pestem,
 Corrupti mores hominum intestinaque bella.
 His igitur positis, tuba sat clangore minaci /V 42v/
 Pulsabit trepidos hostes saeuosque tyrannos.
 His ego, Gazari, te, spectatissime, tantum 70
 Alloquor, ut nostrae teneas praesagia mentis.
 Irrita siquando fuerint, me dicito uatem
 Insanae mentis prorsus uanumque poetam.

: 8 :

DE INCOMMODIS HUMANAЕ VITAE
 AD PACINUM PACINIUM

/B 39v/

Qui numerare uelint humanae incommoda uitae
 Et caensere animo, dulcis Pacine, labores
 Ingentemque hominum curam et ludibria fortis?
 Vera fatebuntur Syleni dogmata, regem
 Moeonium docuit quondam qui maxima nobis 5

²²⁴ *post corr. B*

²²⁵ *om. cerno V: cerno add. s.s. B manu correctoris*

²²⁶ *add. annuit post excubat V*

²²⁷ *post corr. B*

Munera, non nasci, sed proxima limine uitae Occidere et sortem lucis contingere nullam. Hoc sensere Getae, ²²⁸ qui maesti fletibus errant, Vt primum soboles lumen spectarit Olympi, Funera quin fidibus caelebrant et carmine laeti	10	
Exultant, quotiens moritur, quem prorsus amarint. Hos equidem laudo, nam functos munera fati Dicere felices ²²⁹ ausim. Mors sola malorum		/V 43r/
Praescribit fines et curas pellit edaces. Nam quid tam miserum quam ferre incommoda uitae Instabilique rota semper uersarier atque Fortunae imperiis subigi et fallacibus auris? Eheu, quid uotis longum deposcimus aeuum, Protinus ut miseri multos uiuamus in annos?	15	
Obsessi tenebris et duri carceris antro	20	/B 40r/
Degimus et nusquam tuti. Namque agmine terrent Horrendae noctis natae et furialibus hydris Insidias ponunt. Tum pestis pessima liuor ²³⁰ Euomit infectum et numquam medicabile uirus. Longa dies senium morbos effetaque membra	25	
Aduhet atque animum saeuis moeroribus urguet. Nunc dulces natos indulgentemque parentem Aut caros condit fratres placidasue sorores. Si quando gratam (quae raro accesserit) horam Senseris, infaustas metuas. Nam fellis amari	30	
Vrna patet, raro gustabis hymetia ²³¹ mella Angustamque boni exuperat mensura malorum. Quam male permittit rebus Rhamnusia ²³² mendax		/V 43v/
Nos uti placidis! Namque imis uertere summa Gaudet et obscuris quam primum candida uertit.	35	
Illa quidem raro mater, sed saepe nouerca Obueniet et rectum simulata decipit umbra Praecipitatque apicem ²³³ rerum deictaque promit. Alta praemit pedibusque rapax insultat iniquis. Sed quid diuitiae uel quid prudentia prodest	40	/B 40v/
Vel genus egregium uel diuae palladis artes Contra Fortunae casus miseramque ruinam? Laumedonteis ²³⁴ sceptris solioque superbo, Quo cecidit lapsu Priamus, quae fulmina uidit Praecipitis fati atque urgentes undique diras,	45	

²²⁸ ex Gethae corr. B

²²⁹ ex foelices corr. B

²³⁰ post corr. B

²³¹ ex himetia corr. B

²³² ex Ramnusia corr. B

²³³ ex apiem corr. B

²³⁴ ex Laumedontes corr. B

Hostiles inter flammis stragemque suorum
 Captiuasque nurus et tanto sanguine matres
 Imbutas, senior tandem confugit ad aras
 Numinis infensi iacuitque cadauere trunco.
 At Cyrus, postquam Astyagem Babylonaque uicit 50
 Lydorumque ducem Croesum²³⁵ uinoque madentem
 Spargapisem excepit, mutato sidere sensit
 Quid Thomyris uindex infesto posceret utre. /V 44r/
 Persarum cecidit regnum, cum, rege perempto,
 Dario insidiis famuli clementior hostis 55
 Est comite, et fleuit regem posuitque sepulchro.
 Non tamen hic uictor sortem superauit iniquam,
 Cui praegustator gemmato immiscuit auro
 Toxica, quae trepido tunc ungula seruat equina.
 Finem igitur rebus posuit fortuna secundis 60 /B 41r/
 Aemula, quae imperio magni fraudauerit orbis.
 Aeneadum soboles Caesar numenque²³⁶ decusque
 Imperii atque hominum uictor, regnator et orbis,
 Insidiis periit dilecti et uulnere Bruti,
 Vt primum toruo despexit lumine Romam 65
 Antia ludibrium uitae dea, gentibus horror.
 Non si Triptolomi celeres conscendere currus
 Vel si Pegaseo posses considerare dorso,
 Siue Medea suos tribuat frenare dracones
 Aut Phaethontaeas permittat Phoebus habenas, 70
 Fortunae inuidiam fugias uel lubrica dona.
 Funeribus magnos gaudet mutare triumphos
 Egregiosque rapit potius quam ruris alumnos, /V 44v/
 Saepius ut uentis abies conuellitur ingens
 Aut pinus scopulis haerens, quae uerberat astra, 75
 Quam breuis, aut paruo gaudentes fonte mirycae,²³⁷
 Fulmina uel turres Acroue ceraunia magno
 Verbere concutiunt caelsa et grauiore tumultu
 Procumbunt. Dant parua leuem percussa fragorem.
 Vtile consilium nobis, si uera fatemur, 80 /B 41v/
 Nil admirari, nil magnum ducere, numquam
 Terreri aduersis aut exultare secundas.
 Hymbribus²³⁸ inmodicis non semper uerberat agros
 Aphricus aut siccis uruntur gramina riuis
 Vsque suis. Caeli regnator temperat astra. 85
 Viuendum est igitur recte. Nam sola laborum
 Perfugium uirtus et sola supernatat omne

²³⁵ ex Cresum corr. B

²³⁶ nomenque V

²³⁷ ex mirycae corr. B

²³⁸ post corr. B

Naufragium uitaeque comes non esse recusat,
 Sis uel Hyperboreos, uel sis uisurus Hydaspem
 Caucasias uolucres diras sedemque Promethei. 90
 Hanc neque Tartareus liuor neque fulmina terrent
 Fortuna, aut aliquis potuit superare tumultus.
 Haec tibi semper adest nec te per inhospita linquit
 Terrarum pelagiue loca et pernoctat ubique
 Ac uigilat tecum et praetendit lumina rebus 95
 Obscuris mortemque docet non esse timendam,
 Vel quicumque hominem possunt uexare labores.²³⁹
 Nunc, Pacine, probos inter, numerande, sodales,
 Pegasei laticis potor mensque hospita Musis,
 Sis felix²⁴⁰ nostrique tibi nec cura recedat. 100

/B 42r/

: 9 :

AD MARIAM VIRGINEM SANCTISSIMAM ODE

Virgo, quae caeli retines habenas,
 Inferi portas reserare Ditis
 Quae uales, adsis utinam roganti
 Supplice uoto.

Tu potes currus celeres morari 5
 Solis et Phoebes reuocare²⁴¹ cursus,
 Astra non umquam²⁴² sine te refulgent,
 Sidera²⁴³ pallent.

Terra quin fructus sine te negaret,
 Flumina et retro reditura cernas, 10
 Gentibus ni tu redeas benigno
 Numine, Virgo.

/V 45v/

Conditor mundi rapidique caeli
 Et sator diuumque²⁴⁴ hominumque legit
 Te sibi sponsam placitam, sed usque 15
 Virgine gaudet.

²³⁹ ex labore corr. B

²⁴⁰ ex foelix corr. B

²⁴¹ reuocare add. V post Phoebes: reuocare ex reserare corr. B

²⁴² post corr. B

²⁴³ ex sydera corr. B

²⁴⁴ ex diuum corr. B

Nuncium caelo tibi misit alto,
Gratia qui te caneret beatam,
Virgines ultra dominumque tecum
Diceret alium.

/B 42v/

20

Ventris ac fructum fore perbeatum
Dixit et summi sobolem Tonantis.
Tu fugis, sanguis uerecunda uelat
Ora decore.

Qui foret²⁴⁵ dixit, quoniam uirilem
Nescio culpam. Gabriel refulgens
Spiratus dixit; tibi missus alma
Verba reportat.

25

Ecce, nunc regis famulam deorum.
Sit, uelut tandem mihi uerba uoce²⁴⁶
Nunciant magna²⁴⁷ dominoque rerum
Gratior ut sim.

30

/V 46r/

Virgo nunc alio tegitur beata,
Filius nutu similis parenti
Quemque nec caelum caperet profundum
Comprimis alio.

35

O salus mundi, o hominum redemptor,
Spes laborantum, requiesque fessis!
Tune felici²⁴⁸ gremio quiescis
Virginis almae?

40

/B 43r/

Nasceris: gentes nihil orbe maius
Sentient unquam simile aut secundum.
Aether et caelum mare terra mundus
Munere gaudent!

Ille sed regno metuit, potentis
Regis aduentu trepidans. Pusillos
Mactat insontes, uenientis aevi
Sanguine laetus.

45

Tu lates crescens uelut inter astra,

²⁴⁵ fiet *V*

²⁴⁶ sono *V*: uoce *post corr.* *B*

²⁴⁷ magno *V*: *post corr.* *B*

²⁴⁸ ex foelici *corr.* *B*

Phoebus assurgens nouus ac decorae ²⁴⁹ Lampados igni leuiores prorsus Lumina condit.	50	/V 46v/
Iam doces paruus retegens superna, Legibus uitae meliora iungis. Quisque miratur faciem benignam Verbaque diua.	55	
Disputas templo, metuit sacerdos Omnis et nescit reserare uocem, Inscius fulmen retinere caeli Dogmaque diuum.	60	/B 43v/
Inde tu caecis aciem refundis, Auribus captis aperis latebras, Mutus elinguis loquitur deum te Prorsus adorat.		
Sanus aeger fit, Thetis ²⁵⁰ ipsa uinum, Mortuus surgit fruiturque uita. Quisque te sanctum cecinit reuinctus Palma et oliua.	65	
Sed furor mentem stimulat nocentum, Liuor et uirus reicit per omnes, Mente mutata moriatur ²⁵¹ ultro, Quisque reclamat.	70	/V 47r/
Traditur caeli soboles iniquis, Pro scelus diuum lacerant, cruentant Et crucifixi moribunda cernas Figere corda.	75	
Contremittit tellus quatiturque caelum, Sol fugit, lumen soror ipsa condit, Astra caligant aciemque retro Sidera uertunt.	80	/B 44r/
Scinditur uelum, lapides dehiscunt, Mortui surgunt capulis apertis. Cuncta demonstrant genitum Tonantis, Morte peremptum.		

²⁴⁹ *sc. decore*

²⁵⁰ *sc. Tethys*

²⁵¹ *post corr. B*

Horrea uos hortor ditum penetrare referta

/B 45r/

Mille bonis. Vacuae nam mihi sunt cumerae.

Illic uos eritis saturi, quin uentris obesi,

Sed mecum exhausti²⁵⁴ protinus et graciles.²⁵⁵ 20

Pacem igitur moneo pacemque colamus et ultro.

Linquite Musarum, deprecor, usque domum.

Francisci Patricii Poematum Liber II explicit.

Incipit Tertius²⁵⁶

Not For Publication

²⁵⁴ *post corr. B*

²⁵⁵ exhausti protinus et graciles *B*] graciles protinus et squalidi *V*: exhausti *post corr. B*

²⁵⁶ foeliciter *add. V post tertius*

[LIBER TERTIUS]

: 1 :

AD AENEAM PIUM II PONTIFICEM MAXIMUM CLEMENTISSIMUM
Πρόσοδος

/V 48r/

Interdum salibus conspergere seria blandis
Et mulcere iocis aures ac tristia risu
Soluere perfacili praestat, sanctissime patrum,
Dummodo nequitiae molles lususque procaces
Sint procul. Humanum est frontem distendere rugis 5
Nec semper torrere iecur seu tundere curis.
Lusi equidem molli quondam flagrante iuuenta,
Dum minus inuidiae stimulos et toxica dira
Pertimui. Lusi quondam, cum blanda Dione
Illexit mentem ambiguam melioribus annis. 10
Sed postquam maestus iam magna ex parte libellus
Seu stomacho feruet seu bilem fundit amaram,
Vel gemit indignam sortem uel tristia fata,
Sumere praestabit felici²⁵⁷ a tempore risum
Et, quae iam uiridi laeti cantauimus aeuo, 15
His miscere malis²⁵⁸ ac maestis uersibus ultro.
Lollius haec oculis, animi pars maxima nostri,
Percurrat, satis est. Nam te, cum pondera rerum
Sustineas, hominum curas ac mystica diuum,
Nec uexare ioco aut curis leuioribus ausim. 20

/V 49r/

: 2 :

AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM DOMINUM LUDOVICUM GONZAGAM
MARCHIONEM MANTUAE²⁵⁹

Euganiae Venetaeque ducum fortissime gentis
Marchio diuorum magnoque Byanore creta

²⁵⁷ *ex foelici corr. B*

²⁵⁸ *tetris V: post corr. B*

²⁵⁹ Ad illustrissimum principem D. Ludovicum Gonzagam Marchionem Mantuae] Francisci Patricii ad illustrissimum principem dominum Ludouicum Gonzagam marchionem Mantue De aduentu Pii II pontificis maximi ad ciuitatem Mantuanam *V*⁴

Exigis aut fatis posses optare benignis?
 Auxisti imperium regnisque accessit auitis
 Nominis ingentis magnum celebrata per orbem /B 47r/
 Fama tui. Referunt omnes Mauortia gesta
 Consilio ductuque tuo dextraque potenti 50
 Ac totiens fusos hostes direptaue signa
 Disiectasque urbes seruataque moenia forti
 Pectore, cum trepidi gemerent sub casside patres.
 Munere te cunctis audent praeferre Latinis
 Seruatae fidei et magnae uirtutis amore. 55
 Ingenium tibi mite domi tractare sereno
 Imperio perhibent populos nec pectora saeuo
 Exagitare metu quin munera pacis obire /V 50v/
 Singula, ne residem uexaret inertia uulgum.
 Nam nebulam halantes ualles stagnante palude 60
 Hauris, egregium multis ex milibus urges
 Vnus opus laetosque paras cultoribus agros
 Atque auram reddis placidam celumque salubre.
 Aemulus Alcidae gestis ac laude laboris
 (Tellurem si quando sitis fraudauit hiulca 65
 Nec placidam pecori reddit frugumue feracem,
 Montibus effossis altis perque ardua ducis,
 Flumina syluarum capreis mirantibus usque²⁶³ /B 47v/
 Pocula uoluentes colles fruticesque reuulsos,
 Nereidumque pecus uirides innare per herbas), 70
 Extruis egregias arces solidoque molari
 Munimenta paras, hostem domitura superbum.
 Moenibus aut latis circundas oppida fossis,
 Omnia quae pacis maturat tempore prudens,
 Ne properare metu cogat Bellona duelli.²⁶⁴ 75
 Nec minor interea cura est tibi templa deorum
 Erigere ac priscas aedes renouare superbis
 Postibus et fuluo ualuas caelare metallo.
 Musarum tibi cura ingens doctusque Mineruam
 Ardenti studio et magno ueneraris honore, 80
 Nouisti si quidem uictas concedere fatis
 Protogenis Zeusisque artes. Vbi nunc Polycleti
 Viuit honos, magni quondam periere colossi,
 Turribus assimiles, quos Cares Lyndius olim
 Aut quos Lysippus molli spectante Tarento²⁶⁵ 85
 Fecerat? Effigies aeuo deuicta fatiscit,
 Sit licet aut solido saxo uel ducta metallo. /V 51r/
 Gloria clara uiget, quam seruat diua Poesis, /B 48r/

²⁶³ ultra *V* *V*⁴

²⁶⁴ *post corr. B*

²⁶⁵ *ex Tharento corr. B*

Quae sola innumeros nectit²⁶⁶ mortalibus annos.
 Haec bella, haec acies lustrat monumenta relictas 90
 Heroum. Haec molitur iter, quod sidera summa
 Attingat. Viuum reddit per secula nomen.
 Hinc tibi perpetuo referetur gloria. Vates,
 Eloquio egregii, atque omnes Heliconis alumni
 Mandabunt scriptis ingentia gesta per aeuum 95
 Virtutesque tuas. Maecenas tempore nostro
 Alter eris. Doctis exponis praemia magna
 Et iuuenes studiis intentos munere pulchro /V 51v/
 Afficis atque opibus refoues uictuque benigno.
 Platina sit testis, quem nunc Florentia priscis 100
 Comparat et dudum Graia Latiaque Camoena.
 Praetulit aequaeuis cunctis iam iamque futurum.
 Colligit ut redeat patriam uisurus et aulam
 Accitu monitisque²⁶⁷ tuis. Mihi namque fatetur
 Se²⁶⁸ uitamque animamque tibi debere. Quod ultro 105
 Impensas dederis studiis sumptuque benigno,
 Viceris exiguae placidus patrimonia sortis.
 Hactenus haec luisse satis, fortissime Princeps, /B 48v/
 Euganiae splendor, gentis Gonzaga propago,
 Sit modo Patricio. Namque hospita Musa per urbes 110
 Labitur ignotas penna titubante nec usquam,
 Ni gremio confota tuo, se credere tuto
 Audeat, ignauae metuens conuicia linguae.
 Dii tibi fortunent regnum natosque benignos
 Sidere constituent firmo pulchrosque nepotes. 115
 Sint tibi diuitiae Siculae, sit Persica gaza.
 Fortunam Cyri uincas et Nestoris annos.
 /V 52r/

: 3 :

DE VITA QUIETA AD GREGORIUM LOLLIIUM²⁶⁹

Este procul, miserae ciuilis praelia rixae,
 Urbibus exitium magnis, extremaque labes!
 Sit procul ambitio rabidaeque insomnia mentis,
 Dum studet optatos tribuat plebecula fascas,

²⁶⁶ *ex nectat corr. B*

²⁶⁷ *ex montisque corr. B*

²⁶⁸ *post corr. B*

²⁶⁹ *post Lollium add. Περί τῆς εὐθυμίας V: De uita quieta ad Gregorium Lollium B: Eiusdem (scil. Patritii) ad Donatum et improbat uitam sollicitam et extollit quietem V^o*

Atque soporiferae per saeua silentia noctis 5
 Murmure sollicito²⁷⁰ repetit discrimina rerum.
 Causidicique procul lis et conuicia caedant²⁷¹
 Stulta fori, strepitu cunctis inuisa quietis.
 Sola situ rigeat domus et deserta clientum /B 49r/
 Vocibus inmodicis taceat, quod Arachnea passim 10
 Postibus aestiuus innectat retia muscis.
 Non mihi diuitias, non pictas murice uestes
 Optarim rutilasue²⁷² Thagi fulgentis²⁷³ harenas.
 Queritat²⁷⁴ haec quisquis, Neptumni nauiget undas,
 Aduelat Eoas conchas, deducat odoras, 15
 India quas mittit foelix et Arabia merces.
 Pascat et innumeros tauros ac iugera caentum
 Frugiferae inuertat segetis, cui fœnora²⁷⁵ summo /V 52v/
 Aggere concrecant. Voti sit denique compos,
 Ditiore inque dies pompaque uehatur in omni 20
 Et Tyriam fuluo uestem discriminet auro.
 Haec sibi sint. Teneat²⁷⁶ proprioque fruatur honore.
 Comparet egregios,²⁷⁷ quoscumque optarit amores,
 Munere conuiuas habeat stipentque clientes.
 Non illi inuideo neque erit me iure beatus 25
 Iudice nec talem fortunam protinus ultro
 Deligerem, Gregori,²⁷⁸ animi pars plurima²⁷⁹ nostri.
 Si mihi te paucis praestas, his uersibus edam
 Quid modo Siluanus pater et²⁸⁰ quid clarus Apollo /B 49v/
 Concedant uitae et quae sint mea gaudia ruri. 30
 Principio parui saedes ponatur agelli,
 Grata quidem uotis, ceu, si surriserit ipsa
 Omnipotens Fortuna meis, caelum omne salubre,
 Quo tegitur,²⁸¹ pulchrique soli laetissima gleba,
 Qua siliquam densum possit complere legumen, 35
 Quaque ferat fascem²⁸² prae²⁸³ magno pondere messor.
 Pars magna aequorea est, uiuus quam²⁸⁴ diluit amnis,

²⁷⁰ *ex sollicito corr. B*

²⁷¹ *sc. cedant*

²⁷² *Optarim rutilasue] Nec donate V⁶: ex rutilas corr. B*

²⁷³ *optamus V⁶*

²⁷⁴ *Quaeritet V*

²⁷⁵ *foenera V⁶: ex fenora corr. V: ex fenora corr. B*

²⁷⁶ *tentat V⁶*

²⁷⁷ *egregios] ac cunctos V⁶*

²⁷⁸ *donate V⁶*

²⁷⁹ *maxima V⁶*

²⁸⁰ *om. et V⁶*

²⁸¹ *tegimur V⁶*

²⁸² *falcem V⁶*

²⁸³ *pro V⁶*

²⁸⁴ *post corr. B*

Gramineos pratis ²⁸⁵ semper qui fundit honores. ²⁸⁶	/V 53r/
Inde salicta uirent, fragilis hinc prorsus arundo,	
Quae frondem Archadico solum permittit asello. ²⁸⁷	40
Crescit et irrigua semper conspergitur unda.	
Praeterea suaui ²⁸⁸ discurrit murmure ²⁸⁹ riuus	
Frigidus et uiridi circumlinit ²⁹⁰ omnia musco.	
Hinc aestate olitor ²⁹¹ sitientem sparserit ortum, ²⁹²	
Liuidus ut cucumis pregnantem compleat aluum	45
Vtque sub ardenti seruentur holuscula ²⁹³ sole.	
Hinc dulces peponi ²⁹⁴ pregratum munus Osyri ²⁹⁵	
Ambrosios referunt ²⁹⁶ succos, ²⁹⁷ quos clarus Homerus	
Sic probat ut pepones placidos appellet Achaeos. ²⁹⁸	/B 50r/
Hortulus hic densis conceptus uepribus omnes	50
Nutrit oderatas herbas, uiolaria, flores,	
Purpureasque rosas, factura papauera somnum,	
Et pressos caules lactucaque sessilis inter	
Allia distinctam seruat discrimine sedem.	
Sunt bene translato crescentes semine porri	55
Brumalique napi gaudentes frigore, rapa,	
Caepeque multiplici contactum ²⁹⁹ ueste, sinapi,	
Atque eruca ³⁰⁰ salax et, quicquid conuenit horto, ³⁰¹	/V 53v/
Ordine dispositum est ferro, quo pectere cultor	
Possit et anguentes herbas conuellere sulco.	60
Caetera praeterea campi pars linquitur aruis	
Parua quidem, uitae quae consulat usque bubulci	
Ac ³⁰² nostrae modicis granaria ³⁰³ frugibus implet.	
Nolo equidem tineam contundere farris aceruum	
Iam trimum; satis est nobis si suppetit ³⁰⁴ annum.	65

²⁸⁵ *ex paratis corr. B*

²⁸⁶ *odores V⁶*

²⁸⁷ *post corr. B*

²⁸⁸ *suauius V⁶*

²⁸⁹ *post corr. B*

²⁹⁰ *ex circumlinit corr. B*

²⁹¹ *ex holitor corr. B*

²⁹² *ex hortum corr. B*

²⁹³ *post corr. B*

²⁹⁴ *sc. pepones*

²⁹⁵ *Peponi pregratum munus osyri] crescunt rugosa ueste pepones V⁶*

²⁹⁶ *ferunt V⁶*

²⁹⁷ *ex sucos corr. B*

²⁹⁸ *pepones placidos appellet Achaeos] socios ut nuncupet ipse pepones V⁶. A marginal note in Patrizi's hand in V reads, ὃ πέπωνες, κάκ' ἐλέγχε', Ἀχαιοὶδες, οὐκέτ' Ἀχαιοί, a quotation from Homer, Iliad 2.235.*

²⁹⁹ *post corr. B*

³⁰⁰ *ex heruca corr. V: post corr. B*

³⁰¹ *ex orto corr. B*

³⁰² *A V⁶*

³⁰³ *post corr. B*

³⁰⁴ *superet V⁶*

Cingitur arbusto et, descripta lege, maritat
 Brachia mustosis ac lectis uitibus ulmus.
 Excipit humorem campi latissima lira,³⁰⁵
 Quae saltum³⁰⁶ pecori uetat et disternat agrum. /B 50v/
 E regione sedent semper uelata corymbis, 70
 Compita ruricolis, diuum et uenerabile sacrum.
 Hic iuga suspendunt et nectunt flore coronas
 Spicaque uotiuo pendet deuincta maniplo.
 Molliter assurgunt accliuo pascua colle³⁰⁷
 Pinguia nec pecori saeuis inuisa rubetis. 75
 Hic locus, arboribus nullis contactus opacis,
 Vndique prospicitur,³⁰⁸ quo non spelaea³⁰⁹ luporum
 Insidiosa gregi prestare latibula possint, /V 54r/
 Excubet ad caulas³¹⁰ quamuis custodia semper
 Fida canum et summis latratibus omnia pellat,³¹¹ 80
 Errant liberius tauri saltumque recursant,
 Si patet et nulla callis concluditur umbra.
 Est e conspectu modico conuallis hiatu
 Sylua quidem suauis, ceu quondam Thessala Tempe.
 Fontibus irriguis madet et non sentibus horret 85
 Hispida multiplici serpentibus undique lapsu.
 Non gressum dumeta secant, sed flore genesta
 Sola uiret croceo et pergratum spirat odorem.
 Caelsa abies tereti consurgit robore et inter /B 51r/
 Vmbriferas fagos et cocto subere quercus 90
 Brachia sustollens tantum supereminet omnes,
 Hanc procul ut cunctis uideas superesse³¹² flagellis.
 Taliter haec certo describitur ordine silua:
 Ingenio, non arte, loci, ceu consita rite
 Ac constructa foret praestantis³¹³ munere dextrae. 95
 Hic laqueis captare feras, hic figere ferro
 Spumantes apros poteris seu pellere crassos
 Artifici strepitu contexta in retia turdos. /V 54v/
 Colle sedet medio propter uineta racemis
 Pinguibus et modico uestitus pampino onusta, 100
 Edita planities, oleis circumdata laetis.
 Intepet haec semper brumali tempore sole,
 Sed quando aestiuas exurit Phoebus aristas,

³⁰⁵ ex lyra corr. B

³⁰⁶ post corr. B

³⁰⁷ collo B: post corr. B

³⁰⁸ conspicitur V^o

³⁰⁹ spelunca V^o

³¹⁰ post corr. B

³¹¹ pellit V^o

³¹² ex supersse corr. B

³¹³ prestanti V^o

Seu furit insanus Leo, tunc, cantante cicada, Vndique flant aerae, quibus omnis uincitur aestus.	105	
Hic non marmoreo nec picto pariete uilla Sedem parua tenet, quam nulla uillicus arte Condidit, et solido firmauit robore tectum. Hanc neque uentorum ³¹⁴ neque saeua iniuria pulsat		/B 51v/
Precipitis nimbi, ³¹⁵ cum nubila soluit in imbrem Iuppiter et terras inimico fulminat igne. ³¹⁶	110	
Hoc tuguri satis est, quo pernoctare decenter Et fatuas betas cenare et agrestia poma Possim. Lucullo sint ruris claustra superbi. Quorsum haec, ut scires quae sint solacia ³¹⁷ uitae,	115	
Lolli docte, ³¹⁸ meae. Veterum monumenta librorum Non sine iudicio mentis, sed pondere rerum Lectito. Moeonidem ³¹⁹ nostro praeferre Maroni		/V 55r/
Ambigo. Nam Tulli cunctis praeponere Graiis Audeo sermonem. Flacco me iudice praestat	120	
Pyndarus. Historia certant Herodotus atque Liuius et tali raptor ³²⁰ discrimine mentis. Quod si quando animum uexaret lectio propter, Tunc ego labentes undas securus oberrans		
Carminibus nymphas ³²¹ conor mulcere fugaces.	125	
Flectite iter, nymphae, faunos audite furentes! Flectite iter, diuae, ³²² faunos ne temnite amantes! His ego iurare monitis me credere nymphas Commotas, faunos non despexisse maritos.		/B 52r/
Oscula congressus et quae potuere uideri, Ni metuam diuos, possem proferre. Tacebo. Sic ego uel placida fessus requiesco sub umbra Et, positis fidibus, commendo membra sopori. Credere uix poteris, quod nulla insomnia terrent Me, modo Tartareis circumuolitantibus umbris.	130	
Hoc mea libertas secura atque ocia ruris Ac tenuis caensus rerumque in curia praestat. Aurea sic quondam degebant secula et ipsi Dii quoque cultores nemorum. Sic pulcher Apollo,	135	
Argutae doctor citharae, ³²³ cum pauit ad undas	140	/V 55v/

³¹⁴ *ex uenetorum corr. B*

³¹⁵ *post corr. B*

³¹⁶ *igne V⁶] igni B V*

³¹⁷ *post corr. B*

³¹⁸ *Lolli docti] Hinc donate V⁶*

³¹⁹ *post corr. B*

³²⁰ *ex rapto corr. B*

³²¹ *ex nympas corr. B*

³²² *ex diue corr. B manu rubricatoris*

³²³ *post corr. B*

Amphrisi Admethi tauros deductus amore.
 Omnia plena iocis ac dulci,³²⁴ plena cachinno
 Sunt ruri. Genio placet indulgere. Catones
 Vrbanas peragant causas et tristia facta.
 Huc³²⁵ igitur modice³²⁶ inter tot mea gaudia uitae 145
 Nunc, optate, ueni et turritam linquito Senam.

: 4 :

DONATUM A PALAESTRA³²⁷ DEHORTATUR
 HORTATURQUE AD LITTERAS³²⁸

/B 52v/

Ingenio praestas, quantum³²⁹ non alter in urbe,
 At tamen assidua mauis certare palaestra.
 Scilicet haec famam maioraque praemia praestat,
 Cum palmam et tripodes uictor spectante theatro
 Excipit et caeuae resonant sussellia plausu. 5
 Quam cum uel tacito laudatur murmure uirtus
 Candida, quae solum spectato iudice gaudet,
 Erras, proposito si non contendere fine
 Constituisti. Mentis³³⁰ sunt et non corporis illa,
 Illa quibus ualeas iter affectare supremi 10 /V 56r/
 Aetheris et longos innectere protinus annos.
 Credere te nolim formae neque uiribus ullis
 Corporeis (prolapsa ruunt sic ista senecta ,
 Seu tristi morbo, segniue³³¹ affecta ueterno,
 Ceu uirides fugiunt autumnus tempore frondes 15
 Arboribus, suavis cum frigore tollitur umbra).
 Gymnica quid poterunt tibi munera, quidue coronae
 Felici³³² deiunctae olea? Quid praemia tecto
 Suspensa et caentum contusi caestibus hostes,
 Cum deserta thoris effetaque membra labore 20 /B 53r/

³²⁴ omnia V^o

³²⁵ post corr. B

³²⁶ modicae V

³²⁷ ex Palestra corr. B

³²⁸ Donatum a palaestra dehortatur hortaturque ad litteras] Eiusdem (scil. Patritii) ad Donatum de contemnenda palaestra V^o

³²⁹ quasi V^o

³³⁰ animi V^o

³³¹ segniue] seu sanguine V^o

³³² ex foelici corr. B

Vix sese attollent, ceu si luxata iacerent?
 Vnum nanque tibi ualeant praestare, quod inter
 Apricos iactare senes haec omnia possis,
 Et simul Herculeos tecum conferre labores. 25
 Non ibo inficias aliquid prodesse palestram.
 Lex iuuenes Spartana iubet iunctasque puellas
 Viribus inter se pariter decernere, quo sit
 Progenies robusta magis. Sed corpora firmat
 Instituitque ictu petere atque cauere decenter.
 Hinc hebet ingenium atque algent fomenta Mineruae, 30 /V 56v/
 Cui natura animum praebet, non uiribus auget,
 Munera partitur certo discrimine caelum,
 Vnde Milo, taurum potuit qui ferre iuencum,
 Quem tulerat, misera³³³ tandem sic morte quieuit.
 Viderat hic cuneis diffissum robur adactis. 35
 Viribus inde suis fretus conuellere³³⁴ tentat
 Insertis manibus, quas prorsus comprimit arbos
 Excussis cuneis et stricto robore triuit.
 Gymnica, qui totidem uicit certamina, tandem
 Oppetit atque feris³³⁵ rapidis sic membra relinquit. 40 /B 53v/
 Sic et Pollydamas,³³⁶ meruit qui cestibus inter
 Athletas summos laudem. Nam forte coactus
 Praecipiti nymbo³³⁷ speluncam deuenit, ex qua
 Tutius inuidiam ratus est euadere³³⁸ caeli.
 Vix erat ingressus sociis astantibus, omnis 45
 Cum subito moles uitio delapsa ruinae
 Cernitur³³⁹ atque inhiat rimis ingentibus imbre
 Commota³⁴⁰ inmodico. Comites tunc protinus illinc
 Dissiluere fuga, quisquis captare salutem
 Contendit celeri. Sic sese proripit omnis. 50 /V 57r/
 Hic pugil infelix³⁴¹ fretus quoque uiribus ultro
 Restitit atque humeris molem sustentat iniquam.
 Lapsa ruit triuitque uirum, quem pondere pressit,
 Quaeque latebra modo fuerat, nunc facta sepulchrum est.
 Hos ualidum robur Stygias transmisit in undas 55
 Audacesque animos riserunt secula cuncta.
 Ergo, age, Cecropios tecum Latiosque libellos
 Perlege et Iliacas pugnas Romanaque bella,

³³³ stolidi V^o

³³⁴ compellere V^o: ex conuelle corr. B

³³⁵ foris V

³³⁶ ex Pollidamas corr. B

³³⁷ ex nimbo corr. B

³³⁸ diffingere V^o

³³⁹ Sternitur V^o

³⁴⁰ post corr. B

³⁴¹ ex infoelix corr. B

Disce et naturae ratio quid postulet et quid
 Viuere sit nostrum uel quae natura animai. 60 /B 54r/
 Despice praeterea populi magnique theatri
 Antiquam laudem. Nam gloria sola uidetur,
 Candida cum uirtus secretae conscia mentis
 Se probat et plausum linquit neque munera poscit.
 Perpetuos igitur poteris sperare triumphos 65
 Hinc et Mercurii pereat, Donate, palaestra.

: 5 :

AD FRANCISCUM TRANCHEDINUM LAUS RURIS

Ni tibi Atlantiades magni de mente parentis
 Ad citharam diuo cecinisset carmine Fatum, /V 57v/
 Quod tibi felici³⁴² deducunt stamine Parcae,
 Et modo neglecto suaderet moenia rure,
 Diuorum interpres, magnae quoque nuncius aulae, 5
 Forsitan urbanos mores uitamque perosus,
 Irriguos latices et agrestia munera magnis
 Urbibus efferrem. Quin te, Francisce, uocarem,
 Vt mecum Driadas inter pulchrasque Napaeas
 Carminibus uelles patula cantare sub alno, 10
 Spicula Cyrrei³⁴³ uatis tyrsumue Lyaei.
 His ego numinibus seruatus fulmine diro /B 54v/
 Constitui uitae pro munere sacra quot annis
 Soluere. Sed postquam monuit Cyllenius urbem
 (Incolae nam iussis praestat parere³⁴⁴ deorum: 15
 Di³⁴⁵ seriem aeternam rerum inconcussaue norunt
 Agmina Fatorum ueraeque uolumina sortis.
 Tempora cuncta etiam cernunt instantia, quare
 Vtile quid nobis, quid contra dicere soli
 Ac monstrare ualent), nos caecis mentibus acti 20
 Implicitique procul uera a³⁴⁶ ratione uagamur
 Et tamen haec aevi quota portio degitur usque /V 58r/
 Fluctibus et magnis semper collisa periclis.
 Eia, age, Mercurii dictis incumbere benignis.
 Ingere te rebus magnis urbemque reuise, 25

³⁴² *ex foelici corr. B*

³⁴³ *ex cirrei corr. B*

³⁴⁴ *post corr. B*

³⁴⁵ *ex Dii corr. B*

³⁴⁶ *add. s.s. B manu correctoris: om. V*

Qua uirtus praeclara animi pondusque loquendi
 Magnum opere³⁴⁷ pretium tulerit, tum praemia grati
 Pensabunt ciues. Tum uictus sidere liuor
 Concidet et dentem contriuerit emula dente
 Inuidiae rabies seque ulciscetur et uret, 30
 Ceu faber ingrati qui duxerat aera inuenci,
 Quo noua tormenti facies sibi remque decusque /B 55r/
 Exitio alterius pareret, mugire iuuencum
 Ipse opifex doceat. Phalaris iubet. Vritur auctor.
 Tabida nec pestis te polluet usque fouebit 35
 Mercurius rursusque feret mandata Tonantis,
 Quae te felicem,³⁴⁸ quae pectora prouida rerum
 Reddent et claros inter numerabere ciues.
 Ast ego, fatidicis qui nullis excitor umbris,
 Nec quo terrarum foelicia tempora degam, 40
 Conscia uenturae signant praesagia sortis,
 Rure fruor, Faunos inter Panasque biformes. /V 58v/
 Et modo fossorum praedulcia munera laudans,
 Altius ut segetem subigant instentque labori
 Degeneres ramos et densam palmitis umbram, 45
 Deputo. Mox teneris, quos fundit prodiga uitis
 Caulibus excretis nondum numerumque modumque
 Praestat docta manus; nimios deturbat et umbras
 Compescit. Palmes ni proximus exigit³⁴⁹ annus,
 Decidit hinc orbus. Sic frugifer ipse relictus 50
 Luxuriat³⁵⁰ completque nouo tum dolia Baccho.
 Insero quin etiam generosae semina plantae. /B 55v/
 Regia namque pyra et Crustumina pruna Damasci,
 Et quae maternis pubescunt cotona³⁵¹ ramis,
 Sunt mihi praecipue cordi. Sic Punica mala, 55
 Sic molusca malos succos oblita uenaeni³⁵²
 Graiaque Sarrano syliqua est pergrata colore.
 Frugibus his ruri Samioque legumine mensam
 Compleo meque etiam curis ciuilibus expers
 Largius inuito, quin somnos gramine duco 60
 Irriguos, quales fundit Cereale papauer.
 Non mihi Thessalico praefulgens stragula fuco /V 59r/
 Aut Pelusiaco quae splendet stamine picta,
 Indulget placitum sed mens secura soporem.
 Fulgida ceruices acies laquearibus apta 65

³⁴⁷ *ex operae corr. B*

³⁴⁸ *ex foelicem corr. B*

³⁴⁹ *exigat V*

³⁵⁰ *ex Luriat corr. B*

³⁵¹ *coctana V: post corr. B*

³⁵² *post corr. B*

Perterret Damodis dapibusque extendere dextram
 Non audet, solio quanquam sedet ille tyranni.
 Nil modo³⁵³ delitiae Sicalae, nil purpura nilque
 Laumedontiadi certans pyncerna ministro
 Aut abacis praestant fulgentia uasa superbis, 70
 Vnguenta et nardi spirantis copia putet.
 Defluit optanti quondam pergrata corona, /B 56r/
 Cum iam pertesum sceptri foret ante neglectam
 Pauperiem poscit regem uitamque priorem
 Anxius exorat. Docuit sic iure tyrannus, 75
 Virtutem egregiam quamuis sub paupere tecto
 Socraticae mentis non inmemor usque beatum
 Et praestare uirum et nullis quoque rebus egentem.
 Hoc neque nobilitas neque forma aut gloria regni
 Nec Fortuna dabit dea, dirus gentibus horror, 80
 Siue Dione hominum diuumque optata uoluptas.
 Quaerenti placidam requiem finemque laborum, /V 59v/
 Delitiis urbis longe praestare uidentur
 Muscosi latices ruris uiridesque recessus
 Frondiferi nemoris, tremulis quos uocibus opplent 85
 Mille auium facies, dum nota cubilia lustrant.
 Viuitur et paruo ruri, grex, hortus,³⁵⁴ agellus,
 Quaeue columborum plausu sonat edita turris
 Pernaque fumosa numquam semota culina,
 Dant tenuem uitam, qualem mens parca peroptat. 90
 Dulcia praeterea praestent obsonia Musae.
 Vos manet ambitio, ciues. Vos crimina falsae /B 56v/
 Insimulant linguae. Vos liuor et improba uexant
 Iurgia. Vos Tyrio scabiem uelatis amictu,
 Tetrica praedulci miscetis toxica melle. 95
 Di tibi fortunent promissi muneris urbem
 Et faueat ceptis semper Cyllenius ales.
 At mihi flaua Ceres praemagno pondere aristas
 Praebeat et densum syliqua nutante legumen
 Laenaeusque pater feruenti dolia musto 100
 Compleat excutiatque comas Autumnus onustas.³⁵⁵
 /V 60r/

³⁵³ sibi *V*: post corr. *B*

³⁵⁴ ex ortus corr. *B*

³⁵⁵ post corr. *B*

DE INCOMMODIS REI VXORIAE
AD RUPHUM³⁵⁶

Tu fueras caelebs nunc es, uesane, maritus.
Huccine nunc tandem uentum est, quam ferre querelas
Vxoris poteris? Qui iurgia quiue labores
Inmodicos, tribuit semper quos³⁵⁷ nupta marito!
Ah, quotiens miseros contundes mordicus unguis, 5
Cum tibi contigerit saeuas ediscere leges
Et mores perferre nouos, quos deferet uxor!
Magna quidem primo uult et formosa uideri
Et referet genus omne suum de stemmate diuum. /B 57r/
Exigit haec uestem delecta monilia mundum, 10
Quem nequeas auri licitarier ipse talento.
'Hauserit ante arcam Crassi praedamque Corynthis
Lucullique penum; quam sat conuiuia, uestes,
Ornamenta satis nec nunc complura³⁵⁸ rogabo,'
Dixerit et luxu tandem contenta quiescat. 15
Ilicet, o, postquam nupserunt flammae uultus
Praeluxitque tibi fax consecrata hymeneo³⁵⁹
Atque nubes medio caeciderunt³⁶⁰ limine nuptae, /V 60v/
Taliter annueras, numquam me uindice, nec si
Sorpseris helleborum. Nulla est insania maior, 20
Quam uitae imperium minima pro uendere dote.
Connubio addictus deges nunc tempora uitae
Nec cenare foris poteris neque ludere talis
Aut placidam dulci³⁶¹ Bromio deducere noctem
Conuiuiamque domi nunquam spectabis amicum. 25
Credit amicitias sceleris commertia. Secum
Murmure uel tenui noctes mercantur auara.³⁶²
Dixerit et scortum ducunt puerosue lacesunt.
Exosa est quoscumque colis rabiosaue seruis /B 57v/
Bile tumet uexatque domum, stomachatur in omnes. 30
Insimulat leditque socrum. Noua iurgia nectit.

³⁵⁶ De incommodis rei uxoriae ad Ruphum: *add.* misogynon Μισογυνία *post* Ruphum V] Francisci Patricii sathyra ad Donatum de re uxoria *V⁶ manu correctoris*

³⁵⁷ tribuit semper quos] semper quos tribuit *V⁶*

³⁵⁸ haec plura *V⁶*: haec *add. s.s. V⁶ manu correctoris*

³⁵⁹ ex himeneo *corr. B*: ex himeneo *corr. V⁶ manu correctoris*

³⁶⁰ *post corr. B*

³⁶¹ dulcem *V⁶*

³⁶² *sic; fortasse auarae*

Pignora uerberibus caedit nec denique quenquam
 Liquerit illesum. Miser, o miser, huccine uentum est?
 Respue, redde patri. Alterius sit coniugis uxor.
 Et crudele iugum prorsus nunc exue. Liber, 35
 Si sapis, esse uelis. Quod si non efficis ultro,
 Perpetere³⁶³ aerumnas, saeuos³⁶⁴ tolerare labores
 Disce, miser. Serpunt, o, nunc tua damna, marite. /V 61r/
 Sacra pudicitiae frangit si uincla,³⁶⁵ caueto.
 Nam deprensa semel fuerit si moeccha, cycuta 40
 Confestim coquitur tibi caenaeque sufficit una.
 Nil intentatum dimittit adultera probri,
 Vnde quidem clari uera est mens illa Catonis.
 Quae moeccha est, eadem pariterque uenefica coniunx.
 Haec ego nunc dulcis mecum meditabar, amice. 45
 Namque tuas persaepe uices haec ipse³⁶⁶ uolutans
 Indoleo, quod nulla tibi spes certa paratur.
 Nec magis ingressus labyrinthi³⁶⁷ moenia³⁶⁸ circum,³⁶⁹
 Si nulla herentis regerent uestigia fila, /B 58r/
 Errasses, gyris ubi semita serpit³⁷⁰ iniquis, 50
 Quam modo coniugii positus discrimine saeui.
 Quid facias igitur? Tripodes accedere sacros
 Nunc operae praetium est. Ambages soluat Apollo.
 Nil humana tibi ualeat sapientia, septem
 Tu licet inferno reuoces a gurgite Graios. 55

: 7 :

DE DIFFICULTATE AMORUM
POLYDAMAS AD POLYCARMUM

/V 61v/

Credideram clauum clauo detrudier. Eheu!
 Experior, clari lusit sententia Tulli.
 O me infelicem!³⁷¹ Clauo confossus utroque
 Excrucior, quali curauit uulnera uiro.
 Sperabam miseros prorsus lenire labores, 5

³⁶³ *add. Vltro ante perpetere V⁶ manu correctoris*

³⁶⁴ *Expunct. saeuos V⁶*

³⁶⁵ *post corr. B*

³⁶⁶ *ipsa V⁶*

³⁶⁷ *post corr. B*

³⁶⁸ *post corr. B*

³⁶⁹ *post corr. B*

³⁷⁰ *ex saerpit corr. B*

³⁷¹ *ex infoelicem corr. B*

Sed maceror, quando mihimet sim³⁷⁹ causa doloris.
 Dum studeo querulos animi lenire furores,
 Protinus hoc unum doleo miser. Istius ergo
 Ingemit hoc carmen, sic me mihi surripit ardor.
 Ah iugulor dextra, meus in me corrui ensis! 50
 Ah sperata salus, uanis sic prodimur umbris!
 Ipse uel infoelix optem demergier undis
 Infernis Stygiaeque lacus innare paludis,
 Horrendo tristis subsidere praeda trifauci,
 Quam frustra totiens lusus sperare salutem. 55 /B 59v/
 Frendere quid prodest dente aut quid mordicus unguis
 Corripere atque genas lacrimis complerier udis?
 Da iugulum Veneri, uictus sectare triumphos,
 Quos uehit, et spoliis nostris ornetur opimis.
 At, si saeua modo laetetur, sanguine comple 60 /V 63r/
 Ac morere et tali caeletur sanguine bustum.
 Polydamas miseros uellet cum³⁸⁰ linquere amores
 Atque noua cuperet ueterem delidere curam.
 Fallitur et medica sese desiderat arte.
 Inferias, Polycarme, mihi persoluit luctu 65
 Et suauis comitis nusquam secedat imago.
 Munus amicitiae fertur sentire sepultus
 Vmbraque consortem gaudet spectare laborum.

: 8 :

DE INSANIA AMATORUM
POLYCARMUS AD POLYDAMANTA

Stulte, quid insanis? Quae te fortuna furem
 Praecipitat? Moreris sic nunc innoxius ultro.
 Si te pollicitis lusit sperata uoluptas
 Optatae Veneris, si te tuus ignis inique
 Prodidit et pariter contempsit foedera diuum, 5 /B 60r/
 Quid te posse putas? Haec gliscit flama³⁸¹ nocendo
 Si non sedatur uirtute ac pectore forti.
 Quare, age, consilio firmo³⁸² te³⁸³ surripi uinclis.
 Excipe magnanimas uires et dissice³⁸⁴ curas

³⁷⁹ sum *V*

³⁸⁰ uellet cum *transp. V*

³⁸¹ ex fama *corr. B*

³⁸² om. firmo *B*

³⁸³ post consilio *expunct. sorti B*

³⁸⁴ dissiice *V: post. corr. B*

Ardentes. Amor hic te raptat, frangit, et urit. 10 /V 63v/
 Dixeris hoc forsā, 'Non possem ferre, sed ultro
 Emoriar potius primo nunc flore iuuentae
 Perpetuisque ferar suprema morte tenebris.
 Inferni prorsus baratri speramus hiatum,
 Quandoquidem precibus surda haec sunt numina nostris. 15
 Vna dies poterit sic atras tollere curas.
 Sat dedimus poenas, sat lusit feruidus ardor.
 Non totiens Venerem mutataque sidera flebo.'
 Tunc ego, 'Cur tragico praestas te more furem
 Qualiter Alcides imbutus sanguine Nessi?³⁸⁵ 20
 Stulte, quid insanis? Non te tua culpa remordet.
 Pone modum tandem Veneri. Contemne labores
 Incassum exceptos. Vitae quodcumque relictum est
 Exige. Tranquillam faciet dulcissima uirtus,
 Quae sola aerumnas tolerat pellitque timorem, 25 /B 60v/
 Ac beat et superas reddit mortalibus oras
 Tutaturque uiros, quibus haec se credidit omnes.
 Haec haeret lateri semper, pernoctat ubique,
 Haec peregre atque domi sancte comitatur amicos.
 Socratica est ratio nulli contingere quicquam 30 /V 64r/
 Posse probo foedi. Dis est tutela salusque
 Perfugiumque boni. Sic te nunc erige lapsum³⁸⁶
 Atque animi uirtus luxum compescat habena.
 Tunc te foelicem poteris censere. Sed, eia,
 Quid Romana tibi, quid prodest lectio Graia, 35
 Si tibi non adeo calles, ut docta Minerua
 Nunc ualeat rabidas animi lenire querelas?
 Frustra crede sapit, qui non sibi consulit ipsi
 Nec sint dura tibi nunc haec primordia. Namque
 Inter cuncta magis cruciant medicamina nulla, 40
 Quam quae uitalem reddunt mortalibus³⁸⁷ auram.'

: 9 :

IOCUS ANTIGONI REGIS IN TRASYLUM CYNICUM

Antigonus, drachmam³⁸⁸ Cynico poscente Trasyllo,
 Rex ait, 'Haud regis dare drachmam est.' ille, 'Talentum
 Da precor.' 'At Cynicum non par est ferre talentum.'

³⁸⁵ ex Nexi corr. B

³⁸⁶ nunc erige lapsum] confirma labantem V: post corr. B

³⁸⁷ laborantibus V: post corr. B

³⁸⁸ ex dracma corr. B

/B 61r/

: 10 :

NATURAE INDULGENTIA IN PUDOREM

Cumque supina hominum fluitare cadauera cernas,
Foemineo casta³⁸⁹ indulgens natura pudori,
Prona puellarum uersat coperitque pudenda.

/V 64v/

: 11 :

DE EMULIS ET OBTRACTATORIBUS SUIS
AD ANGELUM CARAZOLUM³⁹⁰

In nos mordacis mussant conuicia uulgi.
Insimulant placidos,³⁹¹ malim describere amores³⁹²
Nequitiasque leues Veneris, quam Palladis arma
Ac turmas, Bellona, tuas Martemque cruentum.
Scilicet hoc fateor: res est amplissima regum 5
Magnanimas memorare acies Italumque furorem
Victoresque duces truncisque appensa trophea
Atque triumphales titulos insculpere³⁹³ chartis,
Quae solidam seruent laudem uenturaque secla
Instituant alacremque parent in bella iuuentam. 10
Sed mihi quid confert cunctos lustrare triumphos
Carminibus et alterius laudem proferre labore
Nequicquam nostro? Sudant praecordia uatis
Magna relaturi, sudant algente poetae,
Dum cupiunt aures numeris implere canoris. 15
Ah quotiens buccas inflant, qui linquere soccos
Constituunt humiles magnosque referre cothurnos!³⁹⁴
Cuique³⁹⁵ suum natura bonum, quod linquere durum est,

/B 61v/

/V 65r/

³⁸⁹ casta *V*: ex casta *corr. B manu rubricatoris*

³⁹⁰ De emulis et obtractatoribus suis ad Angelum Carazolum] Francisci Patritii uersus ad Karolum De emulis et obtractatoribus *V*^o

³⁹¹ Insimulant placidos] Insimulantque meos *V*^o

³⁹² describere amores] quod scribere amores *V*^o

³⁹³ inscribere *V*^o

³⁹⁴ ex coturnos *corr. B*

³⁹⁵ Cumque *V*^o

Astraue, sed puerum Veneris gracilemque Bathyllum⁴⁰³
 Ac Bromium placidis picturis gaudet amator. /V 66r/
 Pindarus in gremio pueri, quem carmine diuo
 Fleuerat incumbens, somno confectus inert, 60
 Extremam suauis uitam dimisit anhelus.⁴⁰⁴
 Orpheus, Callimachus, cunctos, quos protulit omnes
 Graecia, sollicitos tenuit Cytherea⁴⁰⁵ poetas.⁴⁰⁶
 Praeterea et nostros (quid te sic demoror?) omnes
 Pastores inter cecinit diuinus Alexim 65
 Virgilius. Flaccus Lalagen dilexit amicam.
 Reddidit ingenio praestantem pulchra Lycoris⁴⁰⁷
 Ardentem Gallum. Sic Lesbia clara Catullum,
 Qui mortem ingemuit defuncti passeris atram.
 Argutum Nemesis prestat dilecta⁴⁰⁸ Tibullum, 70
 Quem rapuit iuuenem mors praematura poetam.
 Cynthia lasciui fama est formosa Propertii.
 Hos Amor, hos suaues curae atque obliuia uitae
 Instruxere uiros. Hinc et praeludia magni /B 63r/
 Carminis assurgunt, ni sit labor irritus omnis. 75
 Parua Maro cecinit primis congressibus, haeret
 Pauper et amissum flendo despectat agellum.
 Mox ubi Maecenas magnis affecit amicum /V 66v/
 Muneribus, numeris summum penetrauit Olympum
 Extinctosque duces Troianos reddidit aeuo. 80
 Herculeos totidem quis demens ferre labores
 Nititur in cassum? Nulla hic sunt praemia, nulla
 Gloria, nullus honor. Laudat post funera lector
 Cum cessit liuor. Temnit⁴⁰⁹ sua secula quisque.
 Non igitur propero magnum componere carmen, 85
 Si post fata uenit, post longa silentia fama.
 An cineres manesue putas atque obruta terra
 Membra tenere? Ferat nostro quid tempore rumor
 Dediscit, Lethes tranat qui gurgitis undas,
 Mortales curas temnitque relata popelli? 90
 Nanque ego non cupio uicturos edere uersus,
 Aemula si rabies, si liuor et inscia turba⁴¹⁰ /B 63v/

⁴⁰³ Dicitur. Ardentem non spreuit Graecia canum. / Noluit in patera uulcanum fingere currus / Astraue, sed puerum Veneris gracilemque Bathyllum] *om.* V⁶

⁴⁰⁴ *post anhelus add.* O fortunatum que mors tibi gratiore ulla V⁶ *manu correctoris*

⁴⁰⁵ *ex cytharea corr.* B

⁴⁰⁶ *ex poetas corr.* B

⁴⁰⁷ *post corr.* B

⁴⁰⁸ *preclara* V⁶

⁴⁰⁹ *tenuit* V⁶

⁴¹⁰ B *adds in the bottom margin, after lines 91-92, two lines in brackets, with the notation* Va<cat?> h *to the left and* h ea<tenu?> *to the right:* Nanque Anque [*sic*] ego: non cupio uicturos edere uersus: / Aemu [*sic*] Aemula si rabies: si liuor et inscia turba

Me premat. Admotis urguet calcaribus ipsa
 Gloria. Nam laus est fomes uirtutis et artis.
 Extulerat magna fama, mactarat honore 95
 Immenso ac titulis aetas antiqua poesim.
 Si quisquam numeris doctus callebat, is ipsi
 Optatus regi cunctisque antiquior, omni /V 67r/
 Re grata et quali donatus munere, quali
 Gloria non laudis, non munera, gratia, fama 100
 Prouehit ingenium. Mens alget lenta uel ingens
 Paupertas urguet⁴¹¹ uictus uigilare diurnos.
 Nanque rogat uulgus cur sic discissa lacernae est,
 Clarus si uates humilemque domum incolit, in qua
 Tempore brumali uix fumat paruulus ignis. 105
 Quare operaepraecium est placidas nunc linquere Musas.
 Ast animus felix⁴¹² auram contempnere uulgi
 Qui ualet, angusto contentus colle uel umbra
 Pieria, cudit quae solus perlegat ipse,
 Lectitat aut scribit uel secum mente uolutat; 110
 Se fruitur, gaudet neque auet. Sic ditior aula est
 Attali, et aerumpnas tolerat praeclara uoluptas
 Pallados et priscum Plautum sectatur egentem.
 Herculeo puteus nomen dedit ipse Phreanti.⁴¹³
 Nocte parare haustu uictum, quo discere luce 115
 Posset,⁴¹⁴ et antiquos sic censet Socratis aedes
 Angustae tenuis census uel paruulus hortus,
 Quo patulae dulci platani consederat umbra. /V 67v/
 Calceus at Scythae callus fuit, unda Falernum.
 Diuitias iecit Crates Thebanus et inquit 120
 Se non posse simul auro⁴¹⁵ et uirtute potiri.
 Haec secum loquitur paupertatemque malignam
 Perfert et caules caenat uel sectile porrum.
 Nocte praemit culmos, si cessat culcitra. Solus
 Ipse sapit, solus felix.⁴¹⁶ Nam scriptitat omne 125
 Quod lubet obsequiturque animo legique Mineruae.
 Hanc ego, cum potero uitam sectarier, arte
 Ordinar innumeros uersus uariumque poema.

⁴¹¹ *ex urget corr. B*

⁴¹² *ex foelix corr. B*

⁴¹³ *ex Pheanti corr. B*

⁴¹⁴ *post corr. B*

⁴¹⁵ *simul auro transp. V: post corr. V*

⁴¹⁶ *ex foelix corr. B*

DE DESIDIA ET IGNAVIA SUA AD GREGORIUM LOLLIIUM

Nescioquid causae est mollis, quod inertia blande
 Me tenet et furtim obrepit. Nam pocula credo /B 64v/
 Ipse soporifera exhausti, quod nocte diuque
 Dormio uel uigilans obtutu contuor amens.
 Ingenium uatumque simul pia lectio cessit 5
 Et noua segnities nostros sic corripit artus,⁴¹⁷
 Desidia ut nequeam quicquam componere. Versus
 Exigere inceptos nequeo nec fingere rursus. /V 68r/
 Quare, age, parce, precor, nec me, doctissime Lolli,
 Castiges. Maceror, duro quoque sidere tristis 10
 Viuo equidem. Numquam posses extinguere aristas
 Ardentes. Igitur noli me perdere uerbo.
 Nanque nihil surdo prosit haec fabula. Quare
 Viue alacer nostrique memor, ne despice amicos.

NEERAM AD AURAM DE AMORIBUS SUIS

Aura, quid blando miseram fatigas
 Spiritu et molles reprimis querelas,
 Maesta ne fuluos lacerem capillos
 Vnguibus usque?

Nonne maerendo superos mouebo? 5
 Hospitam lusit malus inmerentem, /B 65r/
 Cui Venus fauit ferus et Cupido,
 Aura, Synolphus.

Ergo nil faustum mihi possit unquam
 Esse, dum fallax aberit. Valet, 10
 Vos, quibus prodest Venus, o beatae!
 Nos moriamur.⁴¹⁸ /V 68v/

Diua, quid uexas iterum relictam
 Speque frustratam placida laccessis?
 Te Dionei tenuere nodi, 15
 Parce furenti.

⁴¹⁷ *post corr. B*⁴¹⁸ *ex moriamur corr. B*

Nulla me curis requies relaxat.
Ah, ego infelix!⁴¹⁹ Mala nostra rident
Cuncta, quin Nymphae placidas choraas
Ducere gaudent.

20

Ridet en uernis Zephyris⁴²⁰ rosarum
Magna uis, rident uiolae. Queruntur
Fronibus tectae uolucres, amores
Vocibus urgent.

Nota uox aurem suaui susurro
Verberat, diui faciles secudent.
Vera, ni ludor, facies renidet,
Ecce, Synolphi.

25

/B 65v/

O laborantum requies per aestum,
Nautis portus, placida Aura,⁴²¹ ueri
Nuntia, tantis meritis resoluam
Vota quotannis.

30

/V 69r/

Not For Publication

: 14 :

INCREPATIO AMORIS AD SYNOLPHUM

Lusimus tandem satis, o Synolphe,
Orte praeclari generis parente.
Nam tibi mens est comitata Muis.
Linque Neeram.

Illa te maestis lacerat querelis,
Te uelut Dido moritura clamat.
Ardet accensis Sicala ut caminis
Vritur Aethna.

5

Tu uel extinctas facias aristas
Flante uel tedas Zephro procaci,

10

⁴¹⁹ *ex infoelix corr. B*

⁴²⁰ *ex Zephyris corr. B*

⁴²¹ *post corr. B*

Flama dum uictrix furibunda saeuit
Messibus ardens, /B 66r/

Laenias quam uel minimum Neeram.
Nam furit, taurum ueluti iuuenca
Quaerit in campis, rabidam fatigat 15
Quando Cupido.

Graia nunc tecum Latia et Camoena
Excubet noctu uigiletque luce /V 69v/
Et sinat nusquam sine se uagantem
Ire Synolphum. 20

Nobilem uirtus facilemque rebus
Reddit et caelo rutilum decorat.
Sola felicem⁴²² facit atque diuis
Vocibus implet.

Luxus optatum populatur aurum. 25
Pallados doctae perimit uoluptas
Munera et sensus hebetat decoros
Inuida Cypris.

Musta iam praelis praemit, ecce, Bacchus.
Feruet Etrusci lacus inde uini. 30
Iam uenit Pallas comitata libris
Frigora poscens. /B 66v/

Ergo nocturnis uigilare chartis
Expedit, brumam rogitat Pyrene.
Aestus immenso iuuenes calore 35
Frangit et urit.

Retia et turdos, celeres molossos
Linque, dum festus redeat December. /V 70r/
Tunc dabis fessis requiem Camoenis
Tempore sacro. 40

: 15 :

AD NICHODEMUM⁴²³

⁴²² *ex foelicem corr. B*

⁴²³ *add. Tranchedinum s.s. post Nichodemum V*

Legimus carmen, Nichodeme, clarum
 Karolo regi dederat Philelphus
 Quod modo et dulces reuocat Camoenas
 Vatis Orati.⁴²⁵

Gratias magnas tibi nunc referre, 5
 Cura praecelsi Ligurum peropto
 Principis, qualem neque uidit olim
 Protinus orbis.

Aureo quanquam cecinisse plectro
 Fertur Alcaeus placidos amores, 10 /B 67r/
 Caedit haud uictus lyricus Philelphus
 Inclytus auctor.

Pyndarum uertet fidibus Latinis,
 Theii reddet miseros furores
 Et dabit Tuscis lacrimas puellis 15 /V 70v/
 Lesbia Sappho.⁴²⁶

Illa, dum fleret rigidum Phaonem
 Spemque frustratam furibunda moeret,
 Leucato se praecipitans⁴²⁷ ab alto
 Mergitur undis. 20

Musa nil mestae potuit decora,
 Nil chelis quondam rapidos morari
 Fluminum lapsus celeresque uentos
 Callida cordis,

Sed dedit poenas nimii furoris, 25
 Dum fugit uitam moritura maestam.
 Fata pensarunt meliora manes
 Famaque uictrix.

Ocio dudum tacuit⁴²⁸ Camoena,
 Ocio dudum iacuere Nymphae, 30 /B 67v/
 Nec lyrae dulces modulis choraes
 Duxit Apollo.

⁴²⁴ Ad Nichodemum illustrissimi Insubriae Lyguriaequae ducis oratorem] *om.* *V*²

⁴²⁵ *ex horati corr. B*

⁴²⁶ *ex Sappho corr. B*

⁴²⁷ *post corr. B*

⁴²⁸ *ex tacui corr. B*

Aemulus liuor perimit poetas.
Vulgus et fallax⁴²⁹ et auarus artes
Negligit diuas et iniqua rodunt
Tempora Musas. 35 /V 71r/

Ille Mecenas citharae⁴³⁰ decorem
Tradidit, multos dedit et disertos,
Dona qui fuluo numerauit auro
Vatibus ultro. 40

Indiget uirtus opibus beatis,
Sordidum ridet populus poetam.
Trita siquando fuerit lacerna,
Creditur amens.

Italum princeps decus atque tutor 45
Pacis Etruscae et Ligurum potentum,
Victor atque ultor fidei sinistrae,
Respice uatem.

Sfortia, en rursus, precor, o, Philelphum
respice et Musis precor, o, benignum 50 /B 68r/
Spiritu praesta.⁴³¹ Moritura uiuunt
Vate canente.

Thessalus uindex sceleris nephandi,
Magnus affector Phrygii⁴³² duelli,
Nocte maereret tacitus profunda 55
Vate silente, /V 71v/

Vnde Pelleus iuuenis Sigaeo⁴³³
Vidit, ut primum tumultum⁴³⁴ beatum
clamat⁴³⁵ Argiuis⁴³⁶ numeris Achillem,
Taliam poscens.⁴³⁷ 60

Tu licet gestis superes triumphos
Protinus Cyri Macedumque bellis,

⁴²⁹ *post corr. B: et fallax] infidus V²*

⁴³⁰ *post corr. B*

⁴³¹ *post corr. B*

⁴³² *ex frigii corr. B*

⁴³³ *ex Sygeo corr. B*

⁴³⁴ *tumulum V²: ex tumultum corr. V²*

⁴³⁵ *ex clama corr. B*

⁴³⁶ *post corr. B*

⁴³⁷ *ex posscens corr. B*

Caesari certes titulis⁴³⁸ trophei,
Vatis egebis,

Quando mors cunctos sepelit nec ipsis 65
Regibus parcit puerisque diuum,
Obruta et numquam meminit referre
Senior aetas.

Pingat et quamuis faciem Thimantes,⁴³⁹
Ducat et uultus Polycletus⁴⁴⁰ aere, 70 /B 68v/
Morte transibunt statuae decore
Gemmaque fulgens,

Musa felices⁴⁴¹ facit atque caelo⁴⁴²
Donat et terris retinet perennes,⁴⁴³
Quique neglectus fuerit, tacenda 75 /V 72r/
Morte senescit.

Hauserit dulcem Aonidum liquorem
Percitum pectus cithara⁴⁴⁴ Philelphi.
Reddit⁴⁴⁵ auditam superis Camoenam
Prorsus et imis. 80

Lusit ut centum Satyras benigno
Ore praecaelsos superans poetas,
Gesta sic rursus memoranda dicet
Sfortiadaea,

Quae quidem magnum uolitant per orbem 85
Traxque formidat Graciles et Indi⁴⁴⁶
Et Scytae, fraeti uolucris sagitta,⁴⁴⁷
Nomine nota.

Ergo uicturum referat per aeuum
Facta, quae seram doceant iuuentam. 90 /B 69r/
Crescat, ut Phoebus super astra fulget,

⁴³⁸ titulus *V*²

⁴³⁹ ex timantes *corr. B*

⁴⁴⁰ post *corr. B*: polycletus *V*²

⁴⁴¹ ex foelices *corr. B*

⁴⁴² post *corr. B*

⁴⁴³ post *corr. B*

⁴⁴⁴ post *corr. B*

⁴⁴⁵ Reddet *V* *V*²: ex Reddet *corr. B*

⁴⁴⁶ post *corr. B*

⁴⁴⁷ post *corr. B*

Inclyta⁴⁴⁸ fama.

Herculis quisquis taceat labores,
Indicas quisquis Tigrides⁴⁴⁹ Lyaei,
Cantet et magni Ligurum⁴⁵⁰ triumphos 95
Principis usque. /V 72v/

Nunc satis tecum, Nichodeme, lusi.
Nota uix nobis citharam⁴⁵¹ Thalia⁴⁵²
Mouit, excurrens digitis eburnis
Carmina nostra. 100

: 16 :

AD GREGORIUM
DE CORONA MYRTHEA

Nate, mihi pharetras et saeua Cupidinis arma
Portendis dictis muneribusque tuis.
Myrtea dona refers, baccis nigrantibus addens,
En, genitor, sertis⁴⁵³ necte caput placidis.
Vt primum tetigere comam, tremor irruit artus, 5
Concutit atque mihi spicula uibrat amor.
Sensi ego furtiuam prolapsam in membra Dyonam
Emeritusque iterum miles in arma trahor. /B 69v/
Quis te quadrimum docuit praesagia uatem?
Coniectas patris funera mesta, puer. 10
Lydia me uexat, non ultra absconditur⁴⁵⁴ ignis⁴⁵⁵
Inuolucris. Serpit obruta flama magis.
Nec pudor est, Danaem cum Iuppiter arserit aurum
Versus et inpluuio fluxerit usque sinum.
/V 73r/

: 17 :

⁴⁴⁸ ex Inclita corr. B

⁴⁴⁹ ex Tygrides corr. B

⁴⁵⁰ ex lygurum corr. B

⁴⁵¹ ex cytharam corr. B

⁴⁵² ex Talia corr. B

⁴⁵³ post corr. B

⁴⁵⁴ obducitur V: post corr. B

⁴⁵⁵ post corr. B

Dulce decus nostrae, pulcherrima Cynthia, Senae,
 Delitium ac summi gloria magni Poli.
 Est tibi nobilitas et candida gratia formae,
 Qua potis es multos sollicitare uiros.
 Aemula sideribus tibi caesia lumina fulgent 5
 Purpureisque genis insidet usque pudor.
 Labraque puniceis possent certare corallis
 Oreque de pulchro cinnama semper olent.⁴⁵⁷
 Non⁴⁵⁸ tamen egregium est, omnes quod spernis amantes.
 Respuis ipsa uiros, respuis ipsa procos. 10
 Daedala te genuit rerum natura, sed optat
 Ne sis muneribus perniosa suis. /B 70r/
 Nam modo Musarum cultor formosus Achilles
 Confixus telis uritur usque tuis
 Immodicasque hausit flamas ignarus amandi 15
 Nec tener assuevit noscere quid sit amor.
 Hunc neque blanditiis spectas uultuue benigno,
 Sed magis obducto saeua supercilio. /V 73v/
 Ferrea (ni mirum) toruaque inmitior ursa es,
 Cynthia, si talem despicias ipsa procum,⁴⁵⁹ 20
 Cui natiua riget numquam⁴⁶⁰ cirrata capillum,
 Qualem pulcher amet⁴⁶¹ Bacchus, habere comam.⁴⁶²
 Iupiter humanos ni contempsisset amores,
 Hunc mutare Phrygi⁴⁶³ cum Ganymede uelit.
 Praetulerit Thetis alma suo, si norit, Achilli. 25
 Cypria, si spectet, liquerit Adonidem.⁴⁶⁴
 Sperneret Hippolytum, pro quo Dytina⁴⁶⁵ furenti
 Alcydi optatum nympha remittat Hylan.
 Praesserat hunc somno⁴⁶⁶ quondam sub rupe iacentem,
 Pone amnem⁴⁶⁷ placidum dulcis et alta quies. 30

⁴⁵⁶ Ad Cynthiam de amoribus Achillis] Francisci Patricii elegia ad Cinthiam de amoribus Achillis *V*⁶

⁴⁵⁷ Aemula sideribus tibi caesia lumina fulgent / Purpureisque genis insidet usque pudor. / Labraque puniceis possent certare corallis / Oreque de pulchro cinnama semper olent] *om. V*⁶

⁴⁵⁸ Hec *V*⁶

⁴⁵⁹ *post* procum *add. V*⁶ Emula sidereis cui caesia lumina fulgent / Purpureisque genis insidet usque pudor: *ante* caesia *del. fulgent V*⁶

⁴⁶⁰ Cui natiua reget numquam] Ingenio non arte reget *V*⁶

⁴⁶¹ amat *V*⁶

⁴⁶² coma *V*: *post* comam *add. V*⁶ Labraque puniceis possent certare corallis / Oreque de pulchro cinnama semper olent

⁴⁶³ *ex phrygi corr. B*

⁴⁶⁴ Praetulerit Thetis alma suo, si norit, Achilli *om. V*⁶: Cypria, si spectet, liquerit Adonidem *del. V*⁶

⁴⁶⁵ *post corr. V*

⁴⁶⁶ summo *V*⁶

⁴⁶⁷ annum *V*⁶

En modo Nereidum certatim deuolat⁴⁶⁸ omnis
Turba, sed attonitae prorsus amore silent. /B 70v/
Pars pedibus trepidis decerpunt basia furtim,
Pars referunt uiolas purpureasue rosas.
O quantus Dryadas⁴⁶⁹ ardor quantusque Napeas, 35
Quantus Amadryadas⁴⁷⁰ urguet et urit amor.
O te felicem,⁴⁷¹ tales si carpis amores,
Quales diua tibi donat habere Venus.⁴⁷² /V 74r/
Hunc tibi fortunat puer aliger ipse Cupido
Fataque concordi sidere cuncta parant. 40
Exue saeuitiam. Nunc torpida pectora dulci
Igne foue et rigidum respue consilium.
Candida marmoreum circumdent brachia collum
Pressaque puniceis oscula fige genis.
Pallentes Hederae tibi sint in amore magistrae, 45
Quae numquam linquunt dulcia connubia
Vinclaque multiplici gaudent connectere lapsu
Arboribus, placidus ne moueatur amor.
Iungite felices⁴⁷³ dextras, connectite foedus 50
Perpetuum atque omni relligione sacrum.
Sitque inter niueos concordia candida cycnos
Alteraque alterius uoce recurat auis.⁴⁷⁴
/B 71r/

: 18 :

AD LYDIAM DE MALIS CITREIS

Citrea quinque dedit tibi sic redolentia mala,
Vt solet Assyria flante uolucres Torus.
Sed mihi Musa refer, uenit⁴⁷⁵ comes ipsa Talia:
Contactu⁴⁷⁶ primo deperiisse tuo. /V 74v/
Et quae Pestanos flores ac balsama quondam 5
Vicissent, omni prorsus honore carent.
Ostupui, sed diua refert, quid protinus horres.

⁴⁶⁸ aduolat *V*^o

⁴⁶⁹ ex Driadas *corr. B*

⁴⁷⁰ ex Amadriadas *corr. B*

⁴⁷¹ ex foelicem *corr. B*

⁴⁷² uiros *V*^o

⁴⁷³ ex foelices *corr. B*

⁴⁷⁴ Alteraque alterius uoce recurat Auis] Et nutu alternis altera currat auis *V*^o

⁴⁷⁵ *post corr. B: uenerat V*

⁴⁷⁶ *post corr. B*

Sunt modo Phoebea sidera uicta die.

*Francisci Patricii Poematum Liber Tertius Explicit.
Incipit Quartus et Vltimus.*⁴⁷⁷

Not For Publication

⁴⁷⁷ et ultimus B] foeliciter V

[LIBER QUARTUS]

: 1 :

AD AENEAM PIUM II PONTIFICEM MAXIMUM BEATISSIMUM⁴⁷⁸

Πρόσοδος

Pingere cum Zeusis uellet simulacra Lacenae
Tindaridis, ne quo effigiem fraudaret honore,
Exprimeret talem, sed qualis bella ciebat
Europae et fatum Priamo Troiaeque parabat,
Complures forma egregias astare puellas 5 /B 71v/
Iussit, ut e uariis membris libaret honesti
Ingenio quicquid posset siue arte benigna.
Collecta e multis speties praestare uidetur
Nescio quid gratum, quin et fastidia tollit
Anxia. Nam mulcent oculos diuersa colorum 10
Lumina, concentus uolucrum dum uerberat aurem,
Vmbriferas inter syluas et amoena locorum /V 75r/
Perfundit fessas dulci modulamine mentes.
⁴⁷⁹ apibus quanta est solertia mella
Floribus ac uiolis diuerso ducere succo 15
Et matutino distendere rore latebras,
Talia praemeditans, cuperem praeludere ceptis
Magnanimis cum forte tuis, tum gesta per aeuum,
Si quando dabitur finis requiesque malorum,
Spargere Moeonio non inferiora cothurno.⁴⁸⁰ 20
Vt potui uariante uices casusque malignos
Fortuna, incertus uitae, farragine mixta
Plurima collegi, paruo descripta libello,
Quem tibi, Musarum numen uatumque, dicaui,
Vt, mea si tenui placeat sermone Thalia,⁴⁸¹ 25 /B 72r/
Aspicias uultu facili cursumque secundes.
Nam confota pio fuerit si numine, dulces
Suggeret Aonio conceptos uertice cantus.
Inter fossores si dudum penitet⁴⁸² illam
Degere, cum nullo iam iam ueneretur honore, 30
Et neglecta suis senio uexetur inerti,
Quis modo miretur? Felices⁴⁸³ edere uersus /V 75v/

⁴⁷⁸ beatissimum *B*] sanctissimum clementissimumque *V*

⁴⁷⁹ *post corr. B*

⁴⁸⁰ *ex coturno corr. B*

⁴⁸¹ *ex Thalia corr. B*

⁴⁸² *ex poenitet corr. B*

⁴⁸³ *ex foelices corr. B*

Abnuit et modulis finem praescribere gestit.
 Me quamuis retro⁴⁸⁴ aspiciat Rhannusia uultu,
 Ah, ne despicias, dulcis mea cura, sed usque 35
 Perfer et aerumnas mecum tolerare molestas
 Ne pudeat. Pius, ecce, Pius nos numine laeto,
 Pieris, afficiet fata et superabit iniqua.
 Tu modo, cum nequeam pedibus desiderare sacris,
 Sume⁴⁸⁵ uices dominumque meis affabere dictis, 40
 Ne me inter syluas, inter deserta locorum
 Inter ruricolae et durae tedia gentis
 Deserat (heu!) totidem damnis totidemque periculis
 Obiectum, cum nulla mihi spes altera restet.
 Trans licet Oceanum mittat transue aequora rubra, 45 /B 72v/
 Securus propero nec me res ulla moratur,
 Quin mandata libens sequar et pia⁴⁸⁶ dicta facessam.
 Has inter sacras uictas mitramque⁴⁸⁷ Dialem,
 Inter caelestes leges et mystica⁴⁸⁸ diuum
 Flaua uerecundo referas sermone loquelas 50
 Et cantu ac fidibus citharam moduleris eburnam. /V 76r/

: 2 :

AD AENEAM PIUM II PONTIFICEM MAXIMUM
 SANCTISSIMUM⁴⁸⁹ CLEMENTISSIMUMQUE
 DE EIUS DEDICATIONE⁴⁹⁰

Candida Calliope, dorso deuecta Medusae
 Alipedis, seu uis uentorum insidere pennis,
 Seu mauis nymphi in uolucro suspensa per auras,
 Ex Helicone ueni, geminisque⁴⁹¹ sororibus adsit,
 Idaliae properans luco templisque Diones 5
 Gratia, quae alternis innectat brachia nodis.
 Hae tibi sint comites redimitae tempora myrto,
 Tu citharam⁴⁹² lauro crinesque innecte corymbis.
 Carmentis turres et moenia magna Quirini

⁴⁸⁴ tetro *V*: ex tetro *corr.* *B*

⁴⁸⁵ post *corr.* *B*: Imple *V*

⁴⁸⁶ post *corr.* *B*: sua *V*

⁴⁸⁷ ex mitamque *corr.* *B*

⁴⁸⁸ ex mistica *corr.* *B*

⁴⁸⁹ ex sanctis *corr.* *B*

⁴⁹⁰ Ad Aeneam Pium II pontificem maximum sanctissimum clementissimumque de eius dedicatione] Franciscus Patricius ad Pium II pontificem maximum poema *V*⁴

⁴⁹¹ ex gemisque *corr.* *B*

⁴⁹² ex cytharam *corr.* *B*

I, pete, laurigeri Aeneae uisura penates,	10	
Pontificis summi, quo numine ⁴⁹³ gloria uobis,		/B 73r/
Pierides, tanta est et tanto laudis honore		
Afficit ille choros uestros placidosque recessus,		
Vt nihil in nostro ducat foelicius aeuo		
Quam uestros latices haurire et carmina sacra.	15	
Vrbis ad ingressum primum, quo maxima surgit		/V 76v/
Praesidium inuictum, moles, quae uertice summo		
Sustinet erectam uicina ad sidera turrim,		
Flecte uiam et Tusci declines fluminis undam.		
Dextra tibi optatum sacrati ad limina Petri	20	
Monstrat iter. Facili cliuo praecelsa patebunt		
Atria et ingenti fulgebit regia luxu.		
Vestibulis aderit stipatus milite multo		
Ianitor, horridior telis armisque coruscus,		
Ipsa uerecundo sed Musa merebere uultu,	25	
Vt tibi decaedant omnes monitusque satellites,		
Te propter ueniens, optatam sistat in aulam.		
Illic muricibus Tyriis ostroque uidebis		
Ornatos proceres, quorum uirtutibus omnis		
Gloria et ingentes debentur laudis honores.	30	
Hos uenerata gradus conscendes. ⁴⁹⁴ Hostia pandet,		/B 73v/
Vt primum Aonio citharam percurrere plectro		
Inciplies, custos teque in penetralia ducet.		
Hic locus augurio est et relligione uerendus.		
In medio caueam cernes laquearibus aptam,	35	
Contextam uariis gemmis auroque coruscam.		/V 77r/
Psytacus ⁴⁹⁵ hac uiridi pluma sed torque rubenti		
Clauditur ac Tyriis pedibus rostroque redunco		
Eois Hypanis misit (mirabile dictu),		
Sedibus hunc, Tusco didicit sermone loquelas.	40	
Nomina uel poscet, uel dixerit ille salutem,		
Seu causam queret ueniendi. Ludit euntes,		
Nititur aut tedio senio ⁴⁹⁶ dare uerba rogandi.		
Hunc fuge. ⁴⁹⁷ Puniceis rutilantes inde galeris		
Semidei stabunt, quorum sub cardine fulta	45	
Ocia uexatis meditatur curia terris.		
Hos ubi conspicias, desiderare, Musa, memento		
Poplitibus flexis comitesque exempla sequantur.		
Hi tibi neue moram facient neu multa rogabunt		
Intenti grauibz curis aditusque patebunt	50	

⁴⁹³ *post corr. B*

⁴⁹⁴ *conscendens V⁴*

⁴⁹⁵ *ex Psitacus corr. B manu correctoris: ex Psytacus corr. B manu rubricatoris: ex Psytacus corr. V: Psitacus V⁴*

⁴⁹⁶ *tedio senio B] ex fessis senio corr. B: fessis senio V V⁴*

⁴⁹⁷ *fuge] caueas V⁴*

Numinis et radiis splendescet ianua sacris.
 Tum famuli manibus sublata aulea recaedent /B 74r/
 Postibus et facili uertentur cardine ualuae.
 Hic Pius Aeneas, solio suffultus eburno,
 Cernitur et placido uultu trepidantia soluet 55
 Corda metu. Dabitur fandi tibi, Diua, potestas.
 Tum uenerata deum manibus ter pectora caedes, /V 77v/
 Strata pauimento pedibus mox oscula figes
 Et Charites intentae animo uestigia seruent.
 Inde uerecundo uocem modulabere plectro, 60
 Talibus orsa modis cunctisque silentibus una.
 Iam facinus terris diuas mortale fugarat
 Virtutes, patriamque domum remeabat Olympi⁴⁹⁸
 Quaeque uenaenati fugiens contagia mundi.
 Iam Pietas, iam⁴⁹⁹ cana Fides fulgebat in astro 65
 Et glaucam ab radice ferens Pax candida oliuam.
 Signifer Erigonem rapido uertebat in orbe
 Syderaque ornabat lymbo uelata pudico
 Gaudebatque parem caelo suspendere lancem
 Iustitia et comites secum spectare sorores. 70
 Liur edax Herebi, monstris comitatus iniquis,
 Et furor ac magnis labes discordia regnis /B 74v/
 Saeuaque Thesiphone dirisque sororibus aucta
 Regnabat terris miserum et lacerauerat orbem.
 Conditor interea caeli spectabat Olympo,⁵⁰⁰ 75
 Quo terrena loci uel quo discriminis essent.
 ‘Ocius huc adsit,’ natarum maxima fatur, /V 78r/
 ‘En rapitur celerans paribus Clementia pennis,’
 Ac magni patris mandata facessere gestit.
 Ille ait, ‘Ambrosios mulcens a uertice crines, 80
 Nata, quidem mecum miserata pericula mundi,
 Vade, age, nunc miseris tandem mortalibus adsis.
 Ipsa Chaos, duram quondam et sine lumine molem,
 Soluisti et medio delibrans pondera terrae,
 Nereides gremium matris deducere circum 85
 Iussisti ac rutilam Phoebi⁵⁰¹ splendescere lucem.
 Tu quoque de nostra tribuisti semina mente
 Humano generi, caeli reditura sub axem.⁵⁰²
 Humida tu Pyrrae uita consurgere saxa
 Efficis atque hominum reparas dispendia dira. 90
 Nunc ope consilioque tuo nunc, filia, terra

⁴⁹⁸ *post corr. B*

⁴⁹⁹ *post corr. B*

⁵⁰⁰ *ex holympto corr. B*

⁵⁰¹ *phebe V⁴*

⁵⁰² *arcem V⁴*

Indiget. Heu, miseri uoces ad sidera mittunt! /B 75r/
 Nocte Hereboque satas tu primum merge sorores
 In baratrum. Phlegethonta petant Stygiamue paludem.
 Liur et infernas populetur luridus angues 95
 Atque cathenatus furor et discordia saeua
 Gurgite Cocyti ciuiles⁵⁰³ compleat iras. /V 78v/
 Tu nostras concede uices ac fulmina terrae
 Ingenti Aeneae, cuius uirtute redibunt
 Delapsae caelo, quae nunc mortalia uitant 100
 Toxica Iustitia et Pietas diuaeque sorores,
 Illius ut solium decorent fulgentibus astris.
 Conditor haec hominum et caeli regnator et auctor
 Imperat. Illa uolens ingentem dissecat aethram.
 Aera tum liquidum uerrit liberataque sidit 105
 Trouigenae⁵⁰⁴ caelso tandem sub colle Quirini.
 Illic gemmatas fingit Claementia pennas.
 Mox, ubi puniceis uidit fulgere galeris
 Concilio heroas sacro, sublata coronam
 Delatam caelo digitis praetendit eburnis 110
 Teque petit facili nixu post talibus infit,
 'Accipe terrarum regnum. Tibi rector Olympi
 Permittit caeli portas atque hostia Ditis. /B 75v/
 Deuolat his dictis et notas uerberat auras.'
 Ac redit ad summi sedem Claementia⁵⁰⁵ patris 115
 Ingentesque tibi rerum commendat habenas.
 Quis modo laeticiam, quis gaudia dixerit orbis, /V 79r/
 Cum te diuino uidit diademate nutu
 Ornatum rutilo et populis dare iura Latinis?
 Tum se donatum cognouit numine tali, 120
 Quale quidem prisci post tempora perdidit auri.
 Te duce, foelicem quisquis deducere uitam
 Ducit et optatam sperat per saecula pacem.
 Iam modo barbaricas quisquis contemnere turmas
 Incipit et Theucris indicit bella tyrannis. 125
 Auspicio ductuque tuo dare colla cathenis
 Cogetur Turcus signa et uictricia Christi
 Stratus humi passis manibus uenerabitur ultro.
 Talia nunc cecinit diuino carmine Phoebus.
 Ad citharam⁵⁰⁶ glomerant choreas Helicone sorores, 130
 Sollemnes dum forte tibi celebrantur honores.
 Sed cur te multis onerem, doctissime uatum,
 Cum maiora animo teneas ac corde uolutes? /B 76r/

⁵⁰³ *post corr. B*

⁵⁰⁴ *Troiugenae V: Troiugene V⁴*

⁵⁰⁵ *post corr. B manu rubricatoris*

⁵⁰⁶ *post corr. B*

Perstringam paucis. Postquam tibi fata benignam
 Nunc strauere uiam, postquam tibi sidera rident, 135
 Vatibus, o foelix, ingentia praemia, uates,
 Redde, praecor. Graia est sententia: doctus amabit /V 79v/
 Qui fuerit doctos. Iaceant sine lumine oportet
 Nam quicumque lucro aut digno⁵⁰⁷ fraudantur honore.
 Te si Gorgonii latices placidaeque Camoenae 140
 Donarunt caelo, nostris sis gratus alumnis
 Et tibi coniunctum studio patriaue lyraque.
 Cum ferat indignae uexatus fulmina sortis
 Et liuore malo fluctu mergatur iniquo,
 Respice Patricium rebusque innecte⁵⁰⁸ secundis. 145
 Ah, uirtus praeclara animi ingeniumque benignum
 Inuidiam superet! Tantum Rhannusia fallax
 Contra uirtutem possit permittere noli.
 Haec tu, Calliope, dulci modulabere plectro
 Et uultu et cantu reddes meliora benigno. 150
 Vos, Charites, uestro foelici munera rore
 Spargite nostra Pio, quo sint potiora, secundo.
 /B 76v/

: 3 :

DE GENIO QUI SECUNDUM QUIETAM SIBI VISUS EST
AD GREGORIUM LOLLIIUM⁵⁰⁹

Nocturni lemures, cum uana insomnia ludunt,
 Arboris infernae foliis decussa per orbem
 In thalamum uolitant animumque laboribus auctum, /V 80v/
 Dum fessis requiem membris indulget amicam,
 Exagitant ac mille nouis simulacra figuris 5
 Obiiciunt mentemque meam terroribus implent.
 Purpureo caelum, noctis iam parte fugata,
 Ore legens, terris uarios reddebat honores
 Aurora et rutilo spargebat lumine colles,
 Cum mihi, praecinctus⁵¹⁰ nymbo et fulgore corusco, 10
 Numinis in morem Genius perrumpere somnum
 Visus et ingenti tandem sic uoce loquutus:

⁵⁰⁷ solito *V*⁴

⁵⁰⁸ *post corr. B: immisce V*

⁵⁰⁹ De genio qui secundum quietam sibi visus est ad Gregorium Lollium] Francisci Patricii ad Gregorium Lollium

De genio qui secundum quietem sibi visus est *V*⁴

⁵¹⁰ precincto *V*⁴

'Te sopor in tantis potis est inuadere curis.
 Iamque pruinosis decussis crinibus umbram
 Vincere festinat praecursor lucifer ortus 15
 Phoebei. Mora parua datur colludere uerbis.
 Huc ego delatus uenio Mauortis ab urbe,
 Concordisque animi Genium cognoscis amici. /B 77r/
 Tune aliam mentem diuersa sorte futuram
 Esse putas nobis et te moerore labantem, 20
 Conficis, o morum uitaeque oblite⁵¹¹ secundae?
 Heu, nescis quantos aestus quantosque labores
 Te propter tulimus, cum seua iniuria monstris /V 80v/
 Excita Trenareis furiisque incensa Megerae
 Fas omne ac leges contempto foedere diuum 25
 Fregit et insontem iaculo te fixit iniquo.
 Rumor ut infoelix⁵¹² Euandri contigit arces,
 Ostupui, ut quondam Penthei sanguine matrem
 Menades infectis tyrsis uidere cruentam,
 Aut cum fleuerunt laceratum Actaeona⁵¹³ nymphae 30
 Et domini madidos indigna caede Molossos,
 Nullius ob noxam, sed quod sine ueste Dianam
 Viderat. Heu, nunquam testem dimittit inultum,
 Quem pudor aut uexat scelerum formidine culpa!
 Te comitem nostrisque malis cecinere secundum 35
 Omina, sed fati manet immutabilis ordo.
 Nunc uirtutis honos Astreaque reddita caelo
 En aderit numenque Pium foelicia reddet /B 77v/
 Saecula. Iamque redit mundus uicturus in aurum
 Toxicaque euomuit Phoebea cuspide Phython. 40
 Non equidem uideor solium contigere nostri
 Numinis Aeneae dapibusue accumbere sacris,
 Ni mecum ambrosiis epulis ac nectare fatus, /V 81r/
 Ora dei cernens, diuis sermonibus adsis.
 Pollucem caelo donauit Iupiter.' Ille 45
 Sic ait. 'O genitor, fratremne relinquere furuis,
 Ah, tenebris me posse putas et frangere sanctae
 Foedus amicitiae? Parce, oro, et desine uelle.
 Ipse uicem alterna potius nam morte subibo,
 Vt geminis munus magni reddatur Olympi.⁵¹⁴ 50
 Plus ego dimidio, quam toto munere laetor.
 Tu mihi tu, Castor, sine te mihi nulla uidentur
 Gaudia et ambrosii latices gustantur amari.
 Mens eadem nobis longos sociata per annos

⁵¹¹ *ex oblitae corr. B*

⁵¹² *ex infoelix corr. B*

⁵¹³ *post corr. B*

⁵¹⁴ *ex holymphi corr. B*

Concordes animos habitum deduxit in unum.	55	
Et quoniam nostrae melior iam portio uitae		
Iuncta fuit, iunctis nam semper brachia nodis		
Gessimus. O, patiar uitae ⁵¹⁵ quodcumque relictum		/B 78r/
Degere nunc sine te, cum sors tibi durior omni		
Sit loeto, ⁵¹⁶ at nobis magni fortuna fauoris?	60	
Et mihi nunc postquam mater Rhannusia risit,		
Tene nouercali poterit contemnere uultu?’		
Haec quotiens mecum dixi, sed numen amicum		/V 81v/
Te, Pius Aeneas, omni uirtute refulgens,		
Aduocat et comitem uotis foelicibus addit.	65	
Nam te Pieridum ⁵¹⁷ semper dilexit alumnum		
Teque illi ⁵¹⁸ in mentem redigit formosus Apollo.		
Ille poetarum summus primumque iuuenta		
Gorgonios hausit latices et, uirgine cinctus		
Tempora Pennea, Musas aequauit honore.	70	
Nunc uero Aeneadam imperio regnisque Quiritum		
Et uice caelorum regis sceptrisque potitus,		
Victrices aquilas et signa micantia Christi		
Praeferet atque una sub religione tenebit		
Barbaricos populos reges dominosque superbos.	75	
Tu modo Tyrrhenam classem Adriacamque uidebis		
Caerula uerrentem tonsis sulcare carinis,		
Immensum pelagus, quali se pondere numquam		/B 78v/
Oppressam sensit Doris uel remige pulsam.		
Quid peditum referam lectas equitumque cohortes,	80	
Ingentes cuneos turmas uariasque cateruas?		
Vndique concurrunt armis ⁵¹⁹ animisque paratis		
Egregii iuuenes. Iam saeua Gorgone Pallas		/V 82r/
Emicat et magnus furit in discrimina Mauors.		
Dardanius quondam priscae cunabula gentis	85	
Dum petit Aeneas, Tyrrheni ad fluminis undam		
Constitit et magnae iecit primordia Romae.		
Illius auspicio ac ductu, uentura iuuentus,		
Quicquid Nereidum genitor circumdare lato		
Nititur Oceano uel quicquid sidera lambunt,	90	
Terrarum domuit uictumque immiscuit orbem.		
Mox autem refugus fortunae ut uertitur ordo,		
Imperio fraudata suo uix Roma Quiritem		
Noscit et ingratos sensit per saecula ciues		

⁵¹⁵ *post corr. B*

⁵¹⁶ *sc. leto*

⁵¹⁷ *Pierium V*

⁵¹⁸ *sibi V V⁴: post corr. B*

⁵¹⁹ *post corr. B*

Ac latet angustis intra⁵²⁰ pomeria claustris.⁵²¹ 95
Sed modo decursis spatiis fatalibus almus
Aeneae deus, ecce, uices concessit et urbem,
Cui pietate parem dudum non protulit aetas /B 79r/
Vlla uirum, antiquis totidem uirtutibus auctum.
Oenotrios populos et iam desueta trophaeis 100
Agmina, quae Christi sub relligione fouentur,
Rursus ad imperium rerum praeclaraque bella
Armat et antiqui studiis incendit honoris. /V 82v/
En modo uictor erit.⁵²² laceat Discordia iuncta
Inuidiae et pariter Stygias⁵²³ mergantur in undas. 105
Haec dixisse satis. Nam Phoebus lumine noctem
Praecipitat, Loeti⁵²⁴ frater iam uerberat alas
Et labor infoelix mortalia pectora uersat.
Nunc, age, sollicitam mentem depone, Patrici.
Amphitrioniades festinat rumpere caro 110
Vincula Pyrithoo et Pyladem experieris Orestes.’
His ubi me placidis uerbis illexit in auras,
Tollitur et cupidum dicendi plurima lusit
Nec potui blandis arcessere uocibus unquam.
Destituor pariter Genio somnoque uolucris 115
Et redeunt uigiles neglecta in pectora curae.
Dii, facite ut nobis sint haec insomnia uera,
Vt tandem optato laeti potiamur amico.
/B 79v/

: 4 :

AD NICODEMUM TRANCHEDINUM
ILLUSTRISIMI MEDIOLANENSII DUCIS
SECRETARIUM EXCELLENTISSIMUM

Pieris, hospitium non dedigneris amici
Exulis atque inopis. Nam si Fortuna labores
Intulit ac uariis iactauit iniqua procellis, /V 87r/
Non tamen a uestris potuit secludere sacris.
Adsit et fidibus liquidam cum carmine uocem 5

⁵²⁰ *post corr. B*

⁵²¹ *claustris V⁴*

⁵²² *uictor erit B] uictoriam V V⁴; post corr. B*

⁵²³ *pariter Stygias transp. V⁴*

⁵²⁴ *sc. Leti*

Adde,⁵²⁵ praecor, claro Nichodemo ferre salutem,
 Ne pigeat uitreis totiens, qui fontibus hausit
 Ambrosios latices tecum duxitque choreas.
 Is mihi praesidium uitae et tutela meorum
 Firma fuit: diuae uos illa rependite Musae. 10
 Dic, age, nunc quamuis ingentia pondera rerum
 Sustineat Martisque dolos et uota nefanda,
 Irrita consilio reddat placidamque quietem
 Vrbibus Etruscis praegrato munere firmet.
 Non tamen ante oculos praecelsaque principis ora 15
 Conspicuo splendore uiget, seu nititur aula
 Maximus Insubriae dux et fortissimus haeros
 Oenotriae gentis, quem nulla aequauerit aetas /B 80r/
 Virtute aut gestis aut ullo laudis honore.
 Amphitrioniades quamuis Stymphalidas⁵²⁶ arcu 20
 Presserit et Nemei luctantia colla leonis,
 Quamuis insolitae lynces uexere quadrigas,
 Bacche, tuas tygresque iugum timuere feroces, /V 83v/
 Italiae inuigilat rebus, tutatur et armis
 Hesperiae fines latos terraque marique 25
 Incubat, ut Boreas Rhipheis montibus urguet
 Collectas nubes ac caelum linquit apertum.
 Hunc Italum pubes deuotaque pectora Marti,
 Delecti proceres inuictis uiribus armant
 Fulmineamque aciem ductoris moenia ferre 30
 Nulla ualent, non ipsae urbes custodibus auctae,
 Montibus aut summis porrectae ad nubila turres.
 Hunc Gradiuicolae iuuenem sensere cohortes
 Ausoniae et Perusinae acies ac Brachius⁵²⁷ haeros 35
 Indomitus, moriens animam cum reddidit Orco,
 Quin et Picentes, direptis urbibus arma
 Vt primum tetigere, iugum subiere uolentes.
 Tu, Piccinine, ducum fortissime, uictor in omnem /B 80v/
 Italiam ferro quondam grassatus et igni,
 Solum Sfortiadas acies timuisse fateris, 40
 Exutus castris campo et superatus aperto,
 Seruatus fugiens aut munere noctis opacae.
 Discolor ipse Athesis patris deuoluit in alueum /V 84r/
 Heridani stragem ingentem uictasque cohortes,
 Cum Verona tuas eiectas Marte cateruas 45
 Vidit et ostupuit praecelsi uindicis arma.
 Huius et arbitrio quondam se credidit omnis
 Italia et solus belli pacisque sequester

⁵²⁵ *post corr. B: Misce V*

⁵²⁶ *ex stymphalidas corr. B*

⁵²⁷ *sc. Braccio da Montone*

Iudicio rabidos pressit cum pace furores.	
Insubriae quis bella tuis aequanda trophaeis,	50
Maxime Romulidum Caesar, praestringere ⁵²⁸ paucis	
Versiculis ualeat? Cum tot disiecerit urbes,	
Vicerit ingentes populos turmasque feroces	
Contuderit, ferro post agmina fuderit ense,	
Non aliter celeres quam cum per gramina ceruos	55
Inuadit timidos frendens leo. Namque tremendis	
Dentibus hos mandit; post illos diripit ungue	
Praecipitantque fugam praeruptis montibus illi.	/B 81r/
Vt Pylius Nestor, Theucer Salaminus audax,	
Vt ⁵²⁹ Laertiades, diua comitante Minerua,	60
Tytidesque deis congressus, iuuit Atridas	
Arduaque obsequio non detrectauit et armis,	
Sic comes his gestis fuerit, quodcumque licebit,	/V 84v/
Sfortigenae Nichodemus erat. Namque horrida semper	
Spreuit et in magnis animum sumpsisse periclis	65
Cernitur. Haud timuit Fortunam aduersa fouentem.	
Is populos titubante fide firmauit et ultro	
Infensos reges proceresque urbesque superbas.	
Reddidit officio stabiles sermone benigno,	
Consilio egregius belloque insignis et astu.	70
Nunc igitur solium postquam conscendit eburnum	
Et Mediolani sceptris regnoque potitur,	
Insubriae uictor socerumque aequauit honore.	
Lydia Moeonii propter uada profinus Arni,	
Trachedine, habitas ceptisque minoribus instas	75
Et procul a nutu praecaelsi et principis aura.	
Ah, te ne teneat Tyrrhene gloria gentis	
Hesperiaeque decus praestans Florentia magnae,	/B 81v/
Tu nihil in toto quamuis despexeris orbe,	
Pulchrius ac caeli tractu felicius ⁵³⁰ usquam.	80
Haec opibus fulgens et centum clara trophaeis	
Hospitio excaepit disiectas orbe Camoenas	
Templaque constituit saxis ornata uetustis.	/V 85r/
Pallados haec artis ⁵³¹ nutrit: spirantia cernas	
Signa nec inferior pingenti certet Apelles,	85
Nec Babylon radioue Tyros aut murice picto,	
Vel Memphis tela, uel saedula certet Arachne,	
Et sua nunc Seres deducant uellera lucis.	
Quid referam egregium populum caelsumque senatum,	
Publica res Italum quo magna ex parte quiescit?	90

⁵²⁸ perstringere *V*

⁵²⁹ post corr. *B*

⁵³⁰ ex foelicius corr. *B*

⁵³¹ sc. artes

Cuius enim princeps nullo discrimine Cosmus
 Ingentes placido nutu moderatur habenas.
 Ille animi uires magnis uirtutibus armat
 Thespiadumque choris primis nutritus ab annis,
 Edidicit Samii diuina silentia uatis 95
 Et rerum causas et longum gesta per aeuum
 Defensor patriae pro libertate tuenda.
 Non uindex Brutus, Fabius, Tyrintia proles, /B 82r/
 Non maiora animis⁵³² saeui gessere Catones.
 Sed quid diuitias memorem, quibus Indica⁵³³ regna 100
 Prouocet atque auro Pactoli uincat harenam?
 Non fuit assimilis Crassi praediuitis arca
 Luculliue penus, non talis Persica gaza. /V 85v/
 His opibus tantis magno moderamine uitae
 Nititur ac laudem tantum uirtutibus addit; 105
 Solus habere putat quidquid largitur amicis.
 Nanque leuare inopes maestisque afferre salutem
 Precipuum ducit cursumque affectat ad astra
 His meritis longumque sibi iam prorogat aeuum. 110
 Extruit ingentes moles, spectacula quondam
 Aemula Pyramidum magnosque imitata colossos.
 Illic Phidiacis non inferiora uidebis
 Artibus. Euphranoris credas Zeusisue labores
 Parrasiasue⁵³⁴ manus, uel magni Mentoris artes.
 Tum delubra deum⁵³⁵ centum suffulta columnis 115
 Erigit et Pario praecingit marmore postes.
 Caetera cum taceam, non diui limine Marci
 Bibliotheca⁵³⁶ meis est praetereunda Camoenis. /B 82v/
 Illic Cecropios libros Latiosque uidebis
 Ordine dispositos, millena uolumnia prisca 120
 Mixta nouis, simulacra pios testantia uates.
 Huius enim dociles uestigia clara parentis
 Inuadunt nati; quos et concordia iungit, /V 86r/
 Consilium egregios reddit, prudentia magnos.
 Hi iam Tyndaridas aequant uirtute Lacones, 125
 Dicere quos ausim praedignos usque parente
 Et patrem natis pulchrisque nepotibus esse.
 Horum congressus faciles, ultroque citroque
 Officiis cumulata fides, munusque benignum
 Prorsus Amicitiae tecum, et Florentia miris 130
 Aucta bonis, Tusci placida et clementia caeli.

⁵³² *ex animi corr. B*

⁵³³ *post corr. B*

⁵³⁴ *ex Parasiasue corr. B*

⁵³⁵ *add s.s. V manu correctoris*

⁵³⁶ *ex Bibliotheca corr. B*

Ah ne te⁵³⁷ teneat nunc, o Nichodeme, sed ultro
 Insubriam summique ducis magna atria quaere!
 Ille memor fideique tuae et praegratus honore
 Te magno afficiet. Nam munera digna reseruat 135
 Officiis meritisque tuis teque optat et usque
 Posceret, ut fidum ductor Troianus Achatem.
 Ambigit ille tamen, qua te regione beatum /B 83r/
 Esse magis ducas. Tanta est clementia clari
 Principis, ut studeat quae sint tibi grata, nec ultra 140
 Poscat et officio tecum decertet amici.
 Eia, igitur postquam prestat, cum fata benigna
 Stamina deducunt, uiridis cum sufficit aetas, /V 86v/
 Ingere te magnis rebus. Nunc sidus amicum
 Nosce nec inuideas tibi caeli numina; nunquam 145
 Deseruere Iouem, non ignea sidera, lunam.
 Dulcius ambrosia, placido uel nectare, nutrit
 Os faciesque Dei, frons et praegrata Tonantis.
 Pieris, hospitium non dedignata Patrici,
 Baccare nunc frontem praecincta ac tempora lauro, 150
 Vade, age, sed fidibus maiora haec munera redde.

: 5 :

DE ADVENTU AENEAE II PONTIFICIS MAXIMI⁵³⁸
 AD SENATUM POPULUMQUE SENENSEM⁵³⁹

Hunc celebrate diem faustumque edicite ciues
 Nec careat meliore nota niueoque lapillo!
 Nectite foelices lauros, uelate corymbis
 Compita. Pancheo fument altaria thure
 Ipsaque Sarrano rutilent⁵⁴⁰ sub tegmine templa 5 /B 83v/
 Et tremulis flamis radiatum uerberet aurum
 Culmina et incerto dissultent lumine tecta.
 Inde sacerdotes sacrisque operata iuuentus
 Effigiemque deum gemmis baccisque coruscam /V 87r/
 Ac diuum simulacra ferens⁵⁴¹ longo ordine portis 10
 Prodeat et numeris moduletur carmina sacris.

⁵³⁷ *add. s.s. B manu correctoris*

⁵³⁸ *add. in patriam post maximum V*

⁵³⁹ De adventu Aeneae II Pontificis Maximi ad senatum populumque Senensem] Francisci Patricii ad senatum populumque Senensem De adventu Pii II pontifici maximi in patriam *V*⁴

⁵⁴⁰ *resonant V*⁴

⁵⁴¹ *ante ferens expunct. Uiru [sic] B*

Hinc iuuenum series, ostro et ferrugine fulgens,
 Tum proceres, quorum fuluum discriminat aurum
 Sydonias⁵⁴² chlamydes⁵⁴³ uiridis seu pingit lapsis,
 Inde Senatores animis concordibus aequent 15
 Inter se⁵⁴⁴ gressus. Mox caetera turba sequatur
 Foelicis populi, cui nunc presentia rident
 Sidera et exactis longe meliora propinquant.
 Tu quoque praegratum hospitium, patria alma, Camoenis,
 Numine, Sena, tuo et tali laeteris alumnino, 20
 Cui uirtute parem, si saecula longa reuoluis,
 Non tuleris, similem gestis aut laude secundum.
 Is uenit et patrium longo post tempore limen
 En petit, Aeneadum imperio regnisque potitus.
 Huic modo terrarum cernis permittere curam 25 /B 84r/
 Ingentem caeli regem, cui sydera parent.
 Accipite hunc, ciues, numenque agnoscite uestrum!
 En Pius Aeneas, en qui uos iure beatos
 Efficit atque odiis finem praescribit iniquis. /V 87v/
 Non furor externus coniuratiue tyranni, 30
 Non dolus aut liuor caeciae iniuria Martis,
 Non uis ulla hominum, non saeuae fulmina sortis
 Audebunt placidam pacem turbare tumultu.
 En Pius Aeneas summa pietate tuetur
 Optatam patriam. Nam cunctis excubat unus, 35
 Vnus obit curam rerum firmamque salutem.
 Hinc requiem uobis libertatemque perennem
 Ducite. Solicitam mentem nunc ponite, ciues.
 Pallas ubi incertos urbis de nomine uidit
 Cecropidas signumque dari, tellure tridente 40
 Percussa ingentis belli, candentis oliuae
 Foelicis pacis munus dedit. Omine laeti,
 Thesidae tribuere urbi cognomina diuae,
 Mente Iouis genitae, quae doctas auxit Athenas.
 O fortunatam patriam, tua si bona noris, 45 /B 84v/
 Concordique animo monitis parebis alumni,
 Quem reges populique truces uenerantur, et ultro
 Barbara gens Scythico formidat ab usque recessu.
 Non magis increbruit Thebarum gloria gestis /V 88r/
 Herculis, aut Bacchi, quamuis Stympthalidas ille 50
 Presserit, et Nemeum⁵⁴⁵ magna uirtute leonem.
 Hic graciles Indos et subdere colla triumphis
 Iusserit insolitas tygres lyncasque fugaces.

⁵⁴² ex Sidonias *corr. B*

⁵⁴³ ex clamides *corr. B*

⁵⁴⁴ Inter se] Intersit *V*⁴

⁵⁴⁵ nemorum *V*⁴

Quam tua crebrescet, si satis, Sena, benignis
 His aderis faustamque tibi cognoueris horam! 55
 Ortygiam fama est incertam fluctibus olim
 Haerentemque undis Aegaeis sede teneri
 Ambigua et cunctis uictam concedere uentis.
 Sed pius errantem Latonae filius ultra
 Non passus Gyaro iunxit solidamque locauit 60
 Finitimis tandem scopulis odiisque nouercae
 Immissum uirus furuas detrusit ad umbras
 Fatidicamque dedit praeclaro numine Delon,
 Delon nunc diuo uenerabile nomine⁵⁴⁶ alumno.
 Cnosia sic quondam caentum notissima Cretae 65 /B 85r/
 Urbibus indigenisque deis laudatur et aevo
 Perpetuo fruitur numerumque ardentibus astris
 Addidit et famam supremo immiscet Olimpo.⁵⁴⁷
 Tu quoque, perpetuo foelix hoc numine, Sena, /V 88v/
 Ingentes aequabis opes ueteremque senectam 70
 Exueris faciemque nouam splendore corusco
 Accipies, quali longe post tempora uitae
 Cynnaeo coniecta toro⁵⁴⁸ confotaque Phoebi⁵⁴⁹
 Lampade conspicitur renouati corporis ales.
 O quales cernes aedes, fora, templa, theatra, 75
 Aemula Memphiticis caelsasque ad sydera turres
 Vincentesque umbras, quales, si credimus, olim
 Pyramides creuisse ferunt Rhodiumue colossus,⁵⁵⁰
 Aut Propontiacis Romani Cyzicon oris
 Principis, antiquae quondam spectacula gentis. 80
 Communis, mihi crede, salus. Nam quisque fruatur
 Muneribus propriis, alieno munere gaudens.
 Tunc Mars umbriferum longe procurrat in Hemum
 Concretamue gelu Rhodopen Pangeae nigra,
 Fulminet aut Scythicas gentes Turcasque furentes. 85 /B 85v/
 Candida pax Italis dominetur protinus aruis
 Conciliumque uocent urbes. Tuque, inclita⁵⁵¹ Sena,
 In medio residens redimitaque turribus altis
 Canitiem placidam, multum uenerabere cunctis, /V 89r/
 Vt reliquas inter diuas Berecynthia partu 90
 Laeta deum longe ante alias praefertur honore.
 Tunc ego praedulci confotus nectare nostri
 Numinis Aeneae sanctoque afflatus odore

⁵⁴⁶ nomen *V*

⁵⁴⁷ ex holimpo *corr. B*

⁵⁴⁸ ex thoro *corr. B*

⁵⁴⁹ post *corr. B*

⁵⁵⁰ ex colossus *corr. B*

⁵⁵¹ ex inclita *corr. B*

Mentis Apollineae, quo, quicquid carmine possum
 Ducitur et membris uitalis funditur aura, 95
 O dulcis patria, o uita mihi carior ipsa,
 Incipiam tua gesta libens numerisque per aeuum
 Extendam, priscis non inferiora tropheis.
 Me quamuis toruo dudum spectaris oculo,
 Tu mihi, tu mater, tu mores dura flagella 100
 Egregios firmas pignusque innectis amoris.

: 6 :

AD COSMUM MEDICEM VIRUM EXCELLENTISSIMUM

Quae tua sit probitas, quae sit clementia, Cosme,
 Excelsique animi uirtus et gratia linguae, /B 86r/
 Si quis forte negat se noscere, dicere surdum
 Hunc ausim atque oculis captum mentisque furem,
 Aut ultra Oceani fines habitare malignos, 5
 Qua nulla humanae signant uestigia plantae. /V 89v/
 Nam quae terrarum sedes, uel inhospita sylua,
 Barbaricou mari, praecinctaue syrtibus ora,
 Vel gens, siqua colit flagrantia solibus arua,
 Caucasiasue niues succinctis pellibus errat, 10
 Ignorat Medicis praeclari nomina Cosmi?
 Tu patriae decus omne tuae, tu partus et aureus
 Florentinae urbis, caeli uenturus in astrum.
 Nam tibi priuato fascis submittere gaudet,
 Quisque magistratum gerit, ardua si qua minantur 15
 Tempora, uel diri si quid fremuere tumultus.
 Tu meditans instar uatis nascentia bella,
 Fortunae Martisque dolos, aditusque minaces
 Obstruis atque oleis pacem foelicibus ornas.
 Tu quoque discordes ciues linguamque procacem, 20
 Quam fouet ambitio turpisque ignauia mulcet,
 Vt patulas uulgi uanis sermonibus aures /B 86v/
 Impleat, insimulet caelsum, latretque senatum,
 Erigis in melius, dulci moderamine terrens.
 Ingenio motus auidos mentisque malignae 25
 Ambitus aut, si quos studium exitiale foueret,
 Conprimis et dulci misces absinthia melle. /V 90r/
 Sunt quibus in patria magnum praescribere leges
 Sit decus et populum iuris compescere norma:
 Hinc et semiuirum Cecropem durumque Draconem 30
 Attica laudauit quondam magnumque Solonem,

Argos et Inachidem, Sparte quoque clara Lyncurum,
 Mercurium Memphis, sed Minoa Gnosia Crete.
 Ast aliis laus est, moderari frena senatus
 Eloquio et rabidos uulgi frenare tumultus. 35
 Haec annis totidem tibi castae Palladis urbis
 Credidit imperium belli pacisque, Pericle.
 Sic Amphionio munitam pectine Theben
 Obsequio uictor facilem dedit Epaminundas.
 Lauream praeclaros et saeui munera Martis 40
 Ostendunt ciues. Hinc protinus inclyta Roma
 Scipiadas, Fabios, Decios, magnumque Camillum /B 87r/
 Pretulit et diui ueneratur Caesaris arma
 Osoremque auri Curium fideique benignum
 Attilium. Laudant alii Pyrrhique⁵⁵² Molossi 45
 Victorem, nulla uoluit qui uincere fraude. /V 90v/
 Ille pudicitiae libertatisque uerendus
 Romanae Brutus uindex ultorque tyranni
 Romulidae gentis cunctis praefertur honore.
 Sic quoque contempto laudatur Mutius igne, 50
 Cum fraudata dedit miserandas dextera poenas,
 Et qui prosiliens baratrum praeclusit hiantis
 Telluris patriaeque animam deuouit opimam,
 Ac Tiberis scisso fluuium qui ponte natauit,
 Tuscorum Cocles acies dum moenibus arcet. 55
 Aemulus his gestis, uitae morumque magistros
 Hos sibi prefecit Medices et laudis amore
 Ardua magnanimo superauit singula nixu.
 Legibus hic patriam egregiam fundauit et omni
 Reddidit illustrem studio donisque Mineruae. 60
 Praemia uirtuti statuit certamina laudis
 Vnica, quae iuuenes magnis calcaribus urgent.⁵⁵³ /B 87v/
 Nestora melliflue uincit modulamine linguae.
 Nam populi ardentes animos lenimine mulcet
 Infractosue metu⁵⁵⁴ magnis uirtutibus armat. 65
 Horrida consilio atque astu praecludere bella
 Callet et, inuicto cum praestat pectore, seruet
 Libertas patriaeque decus cui⁵⁵⁵ carius omni
 Thesauro uitaeque bonis. Namque excubat urbi,
 Sedulus ut pastor, qui circum septa Molossos 70
 Disposuit uigiles magnisque latratibus arguet
 Insidias pecorique cauet, sub uertice saxi
 Ipse sedens. Vigilat securis omnibus unus

⁵⁵² ex Pyrrhique corr. B

⁵⁵³ ex urgent corr. B manu rubricatoris

⁵⁵⁴ ex maetu corr. B

⁵⁵⁵ post corr. B: sibi V

Prorsus et ingenti curas sub corde reuoluit,
 Cuius enim uirtus et caeli semine creta 75
 Fortunaque hostique uias sapientia claudit.
 Nanque futura animo precurrit et omina rerum⁵⁵⁶
 Praedicat. Phoebi credas corthinia⁵⁵⁷ fari
 Fatidicamue dei stimulis cantare Sibyllam.⁵⁵⁸
 Non Mopsus, non ipse Thages, magnusue Melampus 80
 Fundebant tales diuina mente loquelas.
 Nam ueluti septem miratur Graecia Graios /B 88r/
 Illorumque uiget totidem sapientia saeculis,
 Tempore sic nostro ueneratur Tuscia Cosmum.
 Consulit hunc rebus dubiis Mauortius haeros 85
 Sfortigena. Hinc populi ac reges oracula poscunt /V 91v/
 Nec sibi quisque satis uisus dignoscere uerum,
 Ni teneat Medicis quae sit sententia Cosmi.
 Gratulor, o, postquam felicia⁵⁵⁹ secula talem
 Nostra tulere uirum, tantis uirtutibus auctum. 90
 Et mihi, quam suaue est ingratae tedia uitae
 Exilique moras et iniquae fulmina sortis
 Eloquio laenire uiri⁵⁶⁰ et dare uerba furori.
 Assiduis animum nostrum tabescere curis
 Non sinit, ingenium dictis incessit amicis 95
 Atque fouet stimulis magnae uirtutis et artis.
 Ille cicatricem nostris obducere crudis
 Vulneribus placidis uerbis et acumine miro
 Nititur ac uoluit magnorum gesta uirorum
 Exemplisque docet quae sint ludibria uitae 100
 Humanae, quid liuor edax, quae praemia pensent
 Ingrati ciues, et quali turbine fertur /B 88v/
 Ambitio, quotiens stimulis uexatur auaris.
 Hae sunt uirtutis fruges, quibus usque fouemur,
 Cosme, tuae. Sapit ille quidem, qui rite magistro 105
 Te fruitur dictisque tuis obtemperat ultro.
 /V 92r/

: 7 :

DE EXILIO AD GREGORIUM LOLLIIUM

⁵⁵⁶ *post corr. B*

⁵⁵⁷ *ex cortinia corr. B*

⁵⁵⁸ *ex Sibillam corr. B*

⁵⁵⁹ *ex foelicia corr. B*

⁵⁶⁰ *post corr. B: suo V*

Nonnulli exilium summum dixere malorum,
 Quod bona natiui laris et telluris alumnae
 Linquimus ac genium patriae sanctosque penates.
 Deserimus uitae comites placidosque sodales,
 Tum quesita diu per tot iam saecula patrum 5
 Munera, dilectas aedes, conuiuia, ludos.
 Pellimur inuiti et regnis multamur auitis.
 Nos quoque Moeonii⁵⁶¹ firmat sententia uatis,
 Dulichii qui uerba ducis iactante procella,
 Dum coniurati saeuirent undique uenti 10
 Neptumnusque furens mortem praetendit amaram,
 Talibus inducit: 'Patriae consurgere fumum
 Si datur ut cernam, morior contentus in undis.'
 Ipse et Cyrcaeis regnis fatoque perenni /B 89r/
 Haerentem scopulis Ithacam quoque praetulit ultro. 15
 Extorres alii sedem mutare fatentur,
 Ceu uolucres tonsis pennarum trans mare, prorsus
 Tutius ut degant alieno sub Ioue, cum sit /V 92v/
 Consilii mutare locum et meliora parare.
 Nanque homini non una domus, non angulus unus 20
 Est patriae finis, sed quicquid luce benigna
 Et placidis flammis terrarum lambit Apollo.
 Terra domus nobis, squamosis piscibus aequor,
 Ast auibz caelum. Non unis moenibus arcet,
 Se quicumque sapit. Mundi scrutabitur oras 25
 Et quo terrarum felicia⁵⁶² tempora degat,
 Illic firmabit sedes geniumque putabit
 Natiuosque lares, aedes, urbemque patritam.
 Nam quocumque loci bene sit, si credere uati
 Pergis Aristophani, patria est. Sententia quondam, 30
 Qua socios Theucer firmat, Salamina patremque
 Dum fugit et magnos rursus dat ferre labores.
 Quin se mundanum, patriam de more roganti,
 Asseruit ciuem sapiens, quem dira cycuta /B 89v/
 Sustulit et caeli rutilis immiscuit astris. 35
 Hanc sequitur mentem Theodorus, ad omnia quamquam
 Durior: is patriam mundum mortalibus esse
 Asserit et latis exultat finibus orbis. /V 93r/
 Scire uelit si quis, me iudice, qualia praestet
 Exilium fortasse mala et quae damna fatebor, 40
 Si sapimus recte et si nunc bona noscimus, inde
 Esse nihil damni. Nam sola supernatat omne
 Naufragium uirtus atque omnes suppetit usus.
 Mens bona, quae careat culpa et sit conscia recti,

⁵⁶¹ *ex Meonii corr. B*

⁵⁶² *ex foelicia corr. B*

Non timet ignaui per iuria iudicis astu	45	
Fingentis leges. At si proscripserit ultro,		
Parebit, fugiet lites animosque malignos.		
Vidimus accipitrem nota de turre columbas		
Pellere. Serpentem trudit spinosus Echinus.		
Exilium non poena malis, sed turpis orexis ⁵⁶³	50	
Feruentis stomachi, dum bilem contrahit atra		
Ambitio, dum liuor edax, dum dira libido		
Saeuit et admotis stimulis insultat et urguet		
Caecus amor numi atque auri uesana cupido.		/B 90r/
Hinc coniurati surgunt in praelia ciues	55	
Atque metum simulant et tristia bella minantur.		
Innectunt causas et crimina falsa procaci		
Ore fremunt. Patulas implent horroribus aures.		/V 93v/
Credula simplicitas lapsas permittit habenas		
Rixantis populi portas, aditusque rapinae	60	
Pandunt (heu miseri!) et capti fallacibus auris.		
Sic sese praedae obiciunt, ludibria fratrum		
Visuri atque hebetes ciuili caede secures,		
Saepe ut blanditiis pastor pellectus amicis		
Lassat claustra miser, sera et pecuaria pandit.	65	
Inuadunt subito fures animisque trucidant		
Limine latrantes inimica uoce Molossos.		
Exercet frustra balatum innoxia turba.		
Sanguine nam passim et nullo discrimine poenas		
Exhibet incauti pastoris ⁵⁶⁴ crimine caesa.	70	
Fingimus an sunt haec ueterum memorata cothurnis. ⁵⁶⁵		
Thesidae ingrati non deiecere parentem		
Thesea, qui mores, leges, ac moenia fixit.		
Hoc melius quam cum gelidas tribuere cycutas		/B 90v/
Barbato ciui, quem dulcis fouit Hymetus.	75	
Iustus Aristides ingratae premia sensit,		
Ah, nimium patriae sola uirtute reiectus.		
Italiam bello tot iam uastauerat annis		/V 94r/
Ductor Agenorides, qui dira a clade Sagunti		
Emensisque iugis Pyrenes fregerat Alpes	80	
Victor et Eridani conferta strage fluentam		
Clauserat ac Trebiae ripas Trasimenaque rubro.		
Sanguine mixta uada at Cannas cognomine caedis		
Fecerat insignes urbemque obsederat armis.		
Consurgit iuuenis patriaeque umbraeque paternae	85	
Vltor Scipiadum decus et spes unica lapsis.		
Hic Libyam ingentem et magnae Kartaginis arces		

⁵⁶³ *post corr. B: oresis V*

⁵⁶⁴ *post corr. B: paitoris (sic) V*

⁵⁶⁵ *ex coturnis corr. B*

Obsidet ac Latiis tandem deducit ab oris
Victorem Annibalem, quem uictum extrudit ab urbe
Sydoniosque patres Romana in foedera cogit. 90
Romulidum imperium, postquam firmauit et urbem,
Quadriugo⁵⁶⁶ uectus curru plausuque secundo
Inuehitur. Liur uirtuti infensus adurit
Ac stimulis urget⁵⁶⁷ torpentia corda malignis. /B 91r/
Iudicium falsum instruitur, detruditur urbe, 95
Quam post aduersas clades seruauerat⁵⁶⁸ unus.
At postquam uiuus caruit patriaue domoque,
Iussit et ingrato cineres caruisse sepulchro, /V 94v/
Et, qui Cecropias longe superauit Athenas
Eloquio et nulli fuerat probitate secundus, 100
Tullius, ut patriam ciuili a fraude redemit,
Pellitur inuidia, mox instauratus inique
Caeditur. Heu facinus, Romanae gloria linguae!
Mens mala cum nequeat simili decernere laude,
Inuidet ingeniis felicibus,⁵⁶⁹ odit et omne 105
Egregiae uirtutis opus, meditatur et usque
Exilium, carcer, seu dira ergastula, mortem.
‘E nobis nemo excellat, uel sanguine poenas
Ipse luat,’ clamant Ephesi, sententia quorum
Inuasit populos. Anno Karthagine pulsus, 110
Quod facili ingenio saeuos mansuescere posset
Inque hominum caetus domitos ductare leones.
Quodque nimis saperet, postquam docuisset Achaeos,
Obrutus est saxis Palamedes. Conditor ille /B 91v/
Thebarum Cadmus, senio confectus inertis, 115
Cum magis optaret requiem portumque senectae,
Moenibus arcetur (dictu miserabile) et urbe,
Quam post aduersos per tot discrimina casus /V 95r/
Condidit ac socios dono discreuit in omnes.
Hos equidem egregios et tot uirtutibus auctos 120
Dicere proscriptos ausim, si liur iniquus
Exegit patria, uel si furor impius armis
Expulit insontes. Cuius dicetur an hostis,
Qui gaudet patriae spoliis et sanguine fratrum,
Exul erit, quamuis solus dominetur in urbe, 125
Quem metuunt ciues, et qua uirtute relict
Saeuit et immani funestat caede propinquos.
Exul enim docuit summa probitate Kamillus

⁵⁶⁶ ex Quadriugo corr. B

⁵⁶⁷ ex urget corr. B

⁵⁶⁸ ex seruauera corr. B

⁵⁶⁹ ex foelicibus corr. B

Se Romam caruisse uno, cum fuderit hostem ⁵⁷⁰	
Grassantem tectis igni et furialibus ausis. ⁵⁷¹	130
Restituit patriam et Veios migrare uolentes ⁵⁷²	
Firmauit ciues, fata instaurauit et urbis.	
Vltima Romani uenisset nominis hora,	
Ni Furii uirtus nulla uiolabilis ira	/B 92r/
Succaensere nefas patriae duxisset et illud	135
Inuidiae crimen populo donasset inultum.	
Eloquio ac bello prestans, Demetrius auxit	
Cecropidas, sed tandem ingratas sensit Athenas	/V 95v/
Nanque ubi deiectas statuas dignouit equestres,	
Quas sibi uictori populus decreuerat olim,	140
Risit et an poterunt uirtutem euertere dixit,	
Cuius enim merito tot conflauere metalla.	
‘Non equidem patria, sed me patria ipsa carebit,’	
Exclamat uirtus et mens pergrata ⁵⁷³ Camoenis.	
‘Haec si forte fugat prouincia, suscipit illa	145
Gratior et digno me complectetur honore.	
Quin si terrarum rabies peruaserit orbem,	
Nusquam iustitiae sedes fideique benignae	
Inter mortales superet, furor omnia uerset,	
Omnia Thesiphone pallenti misceat ore	150
Extrudarque ⁵⁷⁴ locis cunctis; superesse uidebo	
Aeternam patriam et caput inter sydera condam.	
Ergo quis poterit uirtutem pellere, cum sit	
Inter caelicolas sedes pergrata ⁵⁷⁵ Tonanti?’	/B 92v/
Talis Anaxagorae ⁵⁷⁶ fuerat sententia, caelum	155
Cum digyto patriam poscenti ostendit et inquit,	
‘Illam equidem mecum meditor noctesque diesque,	
Qua uiget aeternae mentis caelestis origo.’	/V 96r/
Talia cum tacitus secreta mente reuoluo	
Et stultas hominum curas et inania uota	160
Fortunaeque uices uarias atque irrita dona,	
Indigni exilii casum sortemque malignam	
Inuidiae tolero ac diuis ultoribus illa	
Permitto patriamque omni pietatis amore ⁵⁷⁷	
Obseruo et cupio magnis successibus omnes	165
Egregias urbes prorsus praecellat Hetruscas.	
At quantum Codrus quondam concessit Athenis,	

⁵⁷⁰ fuderit hostem *illeg. in V*

⁵⁷¹ ausis *illeg. in V*

⁵⁷² uolentes *illeg. in V*

⁵⁷³ praegrata *V*

⁵⁷⁴ ex Extrudatque *corr. B manu rubricatoris*

⁵⁷⁵ post *corr. B: pergrata B] sibi grata V*

⁵⁷⁶ ex Anaxarae *corr. B*

⁵⁷⁷ Permitto patriamque omni pietatis amore] *post corr. B*

Romulidis quantum Decii uel Curtius olim,
Tantum, Sena, tibi persolvere protinus optem.

FINIS

*A[ntonius] S[inibaldus] scripsit Anno domini MCCCCLXI^o.
XI^o Kalendas Octobris.⁵⁷⁸*

Not For Publication

⁵⁷⁸ Finis / A. S. scripsit Anno domini MCCCCLXI^o. / XI Kalendas Octobris B] Τέλος V